Delectus opuscularum medicorum antehac in Germaniae diversis academiis editorum / quae in auditorum commodum collegit, et cum notis hinc inde aucta recudi curavit. Ioannes Petrus Frank.

Contributors

Frank, Johann Peter, 1745-1821.

Publication/Creation

Ticini : In typographeo P. Galeatii [etc.], 1785-1793.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hqcrefk2

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

23380/B

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28772465_0012

DELECTUS

OPUSCULORUM MEDICORUM

ANTEHAC

IN GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS EDITORUM

QUAE

In Auditorum commodum collegit,
& propriis aucta recudi curavit

IOANNES PETRUS FRANK M. D.

Sac. Caes. & Reg. Apost. Maiest. a Consiliis Magistratus Politici & Oeconom. Mediolan. facultatis Medicae ac Nosocomiorum per Insubriam Austr. Praeses, Xenodochii Papiens ad S. Matth. Moderator, Therapiae Spec. & Clinices in Ticinensi Academia Professor P. & O. Academiar. Reg. Scientiar. Goetting., Mantuanae, & Elect Mogunt., tum Societ. Patriot. Mediol. & Medic. Helvet. Sodalis.

VOL. XII.

TICINI

EX TYPIS HAEREDUM PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCXCIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

DUodecimum *ultimumque huius operis Volumen Lectoribus hic offero, atque si, quos mihi, fere* octo *abhinc annis, praefixeram, artis Medicae & Chirurgicae apud ſtudioſam iuventutem progreſſus hoc labore aliquomodo promoverim: a fine mihi propoſito, certe unico, non aberravi, gaudeoque me civis non inutilis & hac felici terrarum in parte vices egiſſe.*

Supereſſet nunc, ut alterum, cuius ſpem aliquando inieceram (*), *laborem ſuſciperem, atque, ſicut* Italis *Germaniae, ita &* Germanis *Italiae opuſcula Medica Romano ſermone conſcripta, non facile ab Indigenis — ab Exteris vero non ſine maxima difficultate conquirenda, in faſciculos colligerem, atque Patriae quoque meae,*

(*) Praefat. ad Delect. Opusc. Vol. I.

pretii insignis, quod Italici *laboribus ingenii proprium est, certe non insciae, offerrem; ast vero hanc interea sibi metam proposuit cl. IOANNES IACOBUS ROEMERUS* (*); *atque novo nunc labori* (**) *implicatus, de opere tam feliciter iam suscepto, literisque utilissimo, ne manum alterius messi immittam, desisto.*

Dabam Ticini Reg. die 25. *Aprilis* 1793.

(*) Delectus opusculorum ad omnem rem medicam spectantium, quae primum a celeberrimis Italiae Medicis edita fuerunt. Zurici & Lipsiae Vol. I. a. 1791.

(**) *De curandis hominum morbis Epitome*, cuius quatuor iam libri prodierunt.

IOANNIS PETRI FRANK

ROTALBANI, AUSTRASO-BADENSIS,

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

CURAS INFANTUM

PHYSICO-MEDICAS

EXHIBENS

Heidelberg. die 28. Auguſti 1766. (*).

§. I.

AEtas eſt certa vitae periodus, quae a primo, quo mundum ſalutamus, die ac momento, initium ſuum capere dicitur, vita, quam in utero materno viximus (neſcio quare)

(*) Quae meo quondam ſub nomine comparuit *de curis Infantum* diſſertatio, ea ereptum nunc morte celeberrimum MATTHAEUM GATTENHOFIUM, non me ipſum, pro auctore agnoſcit.

penitus excluſa. Aetatis vero infantilis nomine, ſtricte loquendo, intelligitur illud vitae noſtrae ſpatium, quo fari, ſeu loqui nequit homo, organis licet bene, & ad aetatem proportionate conſtitutis. Communiter autem ſumitur pro illo, quod a natali die ad ſeptimum uſque annum durat, tempore; ſeptem vero alios, qui hos inſequuntur, annos, pueriles appellare conſueverunt. Infantiam praeprimis curae noſtrae ſpectant, quam plurima mors, tum ſua a fabricae tenerrimae imbecillitate, tum minori contra cauſſas morbificas reſiſtentia, notare ſo-

---

Conſcripſeram quidem extenſum magis *de phyſica infantum, & puerorum educatione* libellum, atque eximio huic Viro corrigendum commiſeram: Conamini iuvenis laudem aliquam indulſit, ſed typis immaturum opus evulgari non conſuluit Praeceptor; atque meliorem longe, quam, viginti duorum tunc annorum adoleſcens, potuiſſem, tractatum de *Infantum* modo *curis* componens, huic ipſi, ut ſaepe ſolent in Academiis, nomen Candidati praefixit. Parum igitur ex meis huic opuſculo ineſſe lubens fateor, ſemperque faſſus ſum; ſed non poſſum, quin in ſuppreſſo, tunc praecoci nimis, labore, alterius propriique de *Politia Medica* operis ineunabula quaeram. Haec ipſa vero diſſertatio, eodem, quo *Heidelbergae* prodiit, anno, in Lotharingiae Academia *Muſſipontana*, nunc *Nanceiana*, cui aggregari tunc honor mihi oblatus eſt, typis iterum commiſſa fuit.

let. Uti tertiam hominum partem in iuventute perire adnotat HALLERUS (*a*). Inter centum natos, plus quam triginta ante tertium aetatis annum, e vitalium numero iterum decedere GRAUNTII (*b*), aliorumque calculus eſt. Ex plurium locorum obſervationibus collectis eam fere regulam e numeris mediis ponit WARGENTIN (*c*) unam quartam natorum partem primo anno interire, alteram quartam inde, a primo ad vigeſimum quartum annum, tertiam quartam, uſque ad ſexageſimum durare. Intra duos primos annos plus, quam unam tertiam natorum mori, adnotant *phyſicaliſche oeconomiſche Auſzüge* (*d*). Adeo humana aetas non niſi inter ambiguos gradus ad aliquam vitae conſtantiam enititur.

§. II.

Brevis ſed difficilis ad mundum via eſt, & plures, quin unquam, vel vix unico tractu

---

(*a*) Comment. BOERH. T. III. §. 436. p. 630.
(*b*) *Anmerck der Todtenzettel der Stadt* London.
(*c*) Act. A. Suec. conf. comment. de reb. in ſc. & med. geſt. Vol. VI. pag. 202.
(*d*) T. II. p. 305. T. IV. p. 653.

athmoſphaeram noſtram ſpiraverint, vel ex propria naturae, vel obſtetricantis minus providae manus, culpa concidunt, pro ſempiterno pauculum illud, quod inſpirare aurae cum vita, cumque hac omnem & Patriae, & parentum ſpem miſeri efflant.

Ah! quam ſimul rapiuntur in diſcrimina!
Moritur, priuſquam ſinu vagiit puer
A matre anhela vix rubens, atque interit.
Vitamque linguit, ante qui nec vixerat (*a*).

§. III.

Medetur his, ſi non omnibus, plurimis ſaltem, agilis quaedam ac dextera obſtetricantis manus: haec prolis, haec matris vitam, haec cara patris ac patriae pignora parvo ſaepe labore ambo conſervat. Sed quam dolendus eſt Germaniae noſtrae ſtatus! „ ubi (uti ſuo iam tempore de ſuis conqueſtus eſt DEVENTER) „ (*b*) ut plurimum urgente neceſſitatis telo, im- „ prudentes quaedam pauperculae mulieres vel „ viduae miſerrima mercede conductae iſthoc

---

(*a*) FLUD a GILDE elog. ad Devent. nov. lum. obſt.
(*b*) Nov. lum. obſt. c. 1. §. 1.

„ munus ſuſcipiunt, non ſine diſpendio vitae „ multarum gravidarum, & foetuum“; accedit ridicula foeminarum ex noſtris plurimarum virtus, qua defectu obſtetricis foeminae rerum ſuarum peritioris, manum virilem, ſcitam, ac exercitatam reſpuunt: ignarae quid proli, ignarae quid patriae, quid ſibi ipſis debeant.

§. IV.

Aſt, ſi forte ſitus foetus optimus, hic, ſi felici forte omine, ſingularis e matris pudicitiae, & plorandae obſtetricis ignorantiae manibus evaſerit, naſcitur miſer, & futurorum quaſi malorum ſibi conſcius plorat. Sed in primo hoc aurae vitalis limine, quanta ea in athmoſpherae, preſſionis, frigoris caloriſque mutatione pericula occurrunt! Debiliſſimi toties & nativo tenerrimo ſtamine, & praegreſſi partus iniuria, vel reſpiratione quacunque cauſſa impedita occurrunt, quos vel mortuos credant, ac tumulo condant, vel fato relinquant ignari, impiique: uti triſtia exempla docuere. Infantis debiliſſimi, atque obſtetricis negligentia mortui cauſſam agit FABRICIUS (*a*). Reſuſcitati vario admi-

(*a*) *Samml.* med. reſponſ. T. 2. c. 1.

niculo infantis exemplum refert HEISTERUS (*a*); ROEDERER (*b*); imo ſepulti diutius, ac ſponte demum reviviſcentis mirabiles obſervationes extant (*c*). Id quamquam longo poriſſimum partus labore contingat, ut exhauſtis viribus ſummoque nervorum languore, cor ſuo a vitali contractionum rythmo deſciſcat plane, vel eo fungatur debiliſſimo, extus vix obſervabili, nedum reſpirationem, atque aëris ſubſidia exigente, dum apertae adhuc ſingulares foetui ſanguinis viae debiliori humorum vitalium rivo aliquandiu ſufficiunt (*d*). Aliae nihilominus cauſſae exiſtunt, quae vitalem prima inſpiratione trahendum ſpiritum impediunt; muci copiam, in ore, faucibus, aſpera arteria, ipſiſque ſaepe pulmonibus collectam adnotat KAAW (*e*); ROEDERER a liquore amnii

---

(*a*) De mirab. part. foetus in ſomno mortui profundo.
(*b*) Opuſc. med. p. 305. plura collegit BRUHIER *von ohngewiſſen Todteſzeichen* p. 639. & 640.
(*c*) *Hamb. Magaz.* T. 19. p. 311. BOHN, de renunt. vuln. p. 178. 179. inde dubium experimentum pulmonum. LUDWIG med. for. p. 98.
(*d*) Catellos Caeſareos ex matris utero reſectos vidit HALLER vivere multis minutis abſque reſpiratione. Elem. T. III. p. 225. Similia BUFFONII in catellis recens natis experimenta refert BROUZET de l'educat. med. des enfans ed. Germ. p. 56.
(*e*) De perſpir. §. 156. liquori inteſtinorum, quem

repetit (*a*), qui in cava haec aperta penetrans, eo muci genere condenſatus, inter cauſſas ſuffocationis pertinet; aliae huc cauſſae ſpectant: a velo palatino, palato oſſeo adplicato, dorſoque linguae ad eandem fornicem elevato, impeditam ſufficientem reſpirationem obſervat ROEDERER (*b*), ipſam curvam foetus figuram, ac plicam colli ſuper pectus adducti huc refert HALLERUS (*c*); ut ſola extenſio ad faciliorem reſpirationem ſufficeret. Adparet, quam cauto hic attentoque ad omnia iudicio inter imperioſa muliercularum congregatarum conſilia verſandum, ut debiliſſimae vitae ſuccurramus, mox plane ſuccubiturae: quod vario ſtimuli genere fit, quo nervorum vegetiores motus animentur, muſculi elevandae thoraci ſervientes incitentur, vacuiſque demum pulmonibus externus aër invitetur. Fricantur pedes, totumque corpus ad ſpinam dorſi praecipue; plumula nares irritantur, mucus ex ore abſtergitur (*d*), fauces immiſſo

---

meconium vocant, comparat BROUZET l. c. p. 59. atque formandis annulis tracheae ſervire credit.

(*a*) Opuſc. p. 315. 319. 322.

(*b*) L. c. p. 316.

(*c*) Elem. T. III. p. 225.

(*d*) Sic muci exterſio inter primas curas pertinet, qua

digito vel plumula laceſſuntur, ad vomitum cientur niſus, fumus tabaci ori inſufflatur, ac inteſtino recto immittitur; calidi potus in os inſtillationem reliquis praefert ROEDERER (*a*). Abdomen comprimitur, ut diaphragmate in motum acto pulmonum agitetur machina. Suctionem papillae pectoris complures obſervationes efficacem docent in EPHEMER. N. C. deſcriptae (*b*) qua nervoſiſſima papilla irritata, nervi intercoſtales praecipue animentur ad muſculos pectoris ſua in munia ciendos. Qua porro in calamitate proſpiciendum ſedulo, ne, quae communis cum matre vita per placentam alitur hactenus, dum reſpiratione necdum fungitur infans, perſciſſo fune, ſublatiſque materni ſanguinis ſubſidiis, vita debilis extinguatur illico; hincque, niſi infans ſat reſpiraverit, nec deligandum nec reſcindendum funiculum umbilicalem praecipit SWIETENIUS (*c*). Idem SMELLIE conſilium eſt (*d*), niſi ultro ipſa uteri vi

---

neglecta, infantes tertia, vel quarta die, inter reſpirationis violentos ſtrepitus mortuos adnotat LOESEKE therap. ſpec. T. IV. p. 182.

(*a*) L. c. p. 308.

(*b*) Decad. 2. ann. 5. obſ. 121. ann. 7. obſ. 67. ann. 6. obſ. 69.

(*c*) T. IV. p. 647.

(*d*) *Von der Hebammen-Kunſt* P. 1. p. 241. 242.

contractrice expellatur placenta, quam & ideo aquae calidae vel vini balneo fovendam ex eadem ratione ſuadet: niſi quidem facies tumida lividaque, atque alia congeſti in pectore vel capite ſanguinis phaenomena adparuerint; quae congeſtio, aut ipſa partus difficilioris iniuria, aut inchoata reſpiratione, neque continuata dein, facile concipitur; ubi optimo conſilio, praeſciſſo fune nec ligato, aliquot ſanguinis uncias emittit SWIETENIUS (*a*), ut pectus nimio ſanguine liberetur. Item ROEDERER (*b*); ad praecavendas convulſiones eodem conſilio utitur SMELLIE (*c*). Adparet praeterea, quanta cautela in caſibus forenſibus infanticidii opus, ut pulmonum in aqua ſubſidentia vel innatatio quid certi de infantis in partu vita vel morte doceat.

§. V.

Ita multiplicem praeterea infantis vix nati vita ſibi curam exigit, atque omnes ſollicite

---

idem argum. vid. in comment. de reb. in ſc. nat. & med. geſt. Vol. 5. p. 440. 441.

(*a*) L. c.

(*b*) L. c. p. 306.

(*c*) L. c. T. II. p. 396.

conſiderandae partes, an quid vitii ſubſit. Capitis praecipua habenda ratio, quod oſſibus adhucdum mobilibus; laxiuſque invicem per membranas coniunctis munivit natura, ut in partu, dum pelvis anguſtias tranſit, cedere, atque capitis molem in figuram magis tranſitui accommodatam, oblongam reddere, vi contractrice uteri retro pellente poſſet. Unde ea conditione oſſium cranii, ſuis iam futuris coalitorum, partus laborioſus redditur, imo difficillimus, ſi pelvis materna anguſtior fuerit (*a*). Cedentia vero oſſa, partus labore acuminata, in naturalem figuram, ipſa naturae opera, ipſoque infantis clamore abeunt, quo impulſi in vaſa encephali ſanguinis niſu, oſſa ſibi arctius iuncta diſcedunt (*b*). Sed maiori aliquando malo fit, ut partu difficiliore longioreque oſſa ita ſuper ſe altius efferantur, ut oſſa ſinciptis (*c*), ſe invicem, vel os frontis ſuper-

---

(*a*) SMELLIE l. c. T. I. c. 3. WALBAUM verſ. LEURRETI p. 300. HEBENSTREIT de capitonibus §. 3.

(*b*) SMELLIE l. c. T. 1. p. 475. RUYSCH adv. anat. dec. 2. p. 41.

(*c*) Tabulae SMELLIANAE id clarius oſtendunt, quoties in partu capitis moles in Cylindrum ducitur, occipitis oſſa, & frontis, infra, oſſa bregmatis mota notavit ROEDERER l. c. p. 332.

ſcandant, vel os occipitis; id quod ſine gravi quidem partium contuſione, fibrarum vaſorumque laceratione, ipſiuſque cerebri contenti compreſſione haud fieri adparet; unde ſanguinis, tum in celluloſam telam, tum ſub dura matre effuſio, inflammatio, ingenſque tumor cum maximo infantis diſcrimine, vel ipſa morte etiam coniuncta naſcitur (*a*). Sectione cadaveris hos effectus oſtendit ROEDERER (*b*). In minori malo, infanteque ſat vegeto, manus opera leniter cauteque premens, reſtituendae ſenſim capitis figurae ſufficit (*c*). Sed, ne id nimis, cautelam ſuggerit inſaniae relictae effectus ab imprudenti compreſſione capitis (*d*). Integrarum id nationum vitium, quo ad certam normam caput effingant, ſed ſtupiditatis, imbecillitatis relictae, effectus memorat BALLEXSERDE (*e*): ſub maiori vero cerebri compreſſione id probe agit SMELLIE l. c. ut praeſciſſo funiculo, aliquot cochlearia ſanguinis emittat, alvum laxet clyſtere, vel catarctico, parvum

(*a*) MONROO oſteolog. p. 112.
(*b*) L. c. p. 322. 327. conf. item *Göttingiſchen Anzeigen* an. 1760. p. 6.
(*c*) SMELLIE l. c. P. 2. p. 392.
(*d*) V. SWIETEN T. III. p. 330.
(*e*) Differt. ſur l'education phyſique des enfans p. 14.

umeris interponat veſicatorium, aliaque adminiſtret, queis mole ſanguinis revulſa, liberetur cerebrum; atque inſtantibus etiam convulſionibus, v. I. ſecta aliquot uncias ſanguinis emittit. Verum, eo in tumore capitis infantilis recte cognoſcendo cautela eſt, ne confundatur cum alio genere, aliiſque cauſſis nato, ac ſiniſtra medendi ratione cum ſummo periculo tractetur. A futuris nimium diſtantibus enatus tumor vel partum immaturum, vel collectam in calvariae cavo lympham, atque prodeuntem hydrocephalum docet (*a*); vel ab imperfecta alicubi oſſificatione, datoque ſpatio minus reſiſtente, propullulantem cerebri portionem recondit, uti ſectione cadaveris comperit CORVINUS (*b*), aliorumque obſervationes colligit.

§. VI.

Inter primas porro curas ſpectat, ut infans deligato funiculo, cuius tota cutis lubrico viſcidoque ſmegmate tegitur a liquore amnii, cui immerſus degebat, profecto, continuo abſtergatur mundeturque: unde morbi cutanei, ob-

---

(*a*) SWIETEN T. IV. p. 649.
(*b*) De hernia cerebri, Vol. II. chir. HALLER p. 336.

ſtructis vaſis exhalantibus, glandularumque cutanearum ductibus, praecaveantur; lavacris olim & balneis, & nunc aliquorum more, aut ablutione ſaltem cum aqua & vino uſi ſunt: quo in argumento notatu digna momenta ſunt: neque enim veterum germanorum mores imitandos velim, qui infantulos ab utero calentes ad vicinum fluvium deferebant, & periclitaturi vires genuinamque parentum prolem, & corpus roboraturi; quod inſtitutum ipſe iam olim GALENUS damnavit (*a*) non magis, refert, ſe Germanis aliiſque ſcribere, quam urſis, apris, & leonibus; neque GALENUM audiendum putem, qui ſalem cuti inſpergendum iubet, quo gluten adhaerens tum abſtergeretur efficacius, tum fibrae cutaneae ſolidioris, firmioreſque redderentur (*b*): utramque certe iniuriam aegerrime fert tenella cutis nunc rubeſcens, & quaſi eryſipelatoſa, ad tantas ſtimuli vires ipſo naturae ductu horreſcens, quae omnem ſubitam mutationem renuit, in adultiore etiam & robuſto corpore periculoſam; quam certe ſummam, cum e calore animali blandiſſimo, quo fovebantur ſtamina, in aërem ſicciorem, frigi-

(*a*) De Sanit. tuend. l. 1. c. 10.
(*b*) Ibid. c. 7.

dioremque (*a*), emergit, non ſine periculo ſubit: quamquam non negandum, balneum hoc frigidum, cui continuo infans immergitur, toties viſum eſſe innoxium, ut KRUGERUS (*b*), aliique complures teſtantur, atque integrae gentes ſeptentrionales, indiaeque occidentalis eo retento more, non niſi robuſtiſſimorum corporum exemplis probant: non diffitendum tamen, delicatiorem, tenellamque foetuum noſtrorum fibram, quae tantopere a robore infantum Nigritarum, ac Lapponum, perinde ac parentum robur, quam maxime differt, fotu caloris egere omnino, atque leves vitae ſcintillulas exceſſu frigoris extingui facile, cuius ſumma in nervos vis eſt, ipſo teſte HIPPOCRATE, qui in tenero corpore tum ſumme irritabiles, tum ad reliquas corporis partes maximam proportionem ac dominium habent (*c*), indeque conſtrictis vaſis, repreſſa unda ſanguinis cordis labilem machinam facile obruit, ſuffocatque. Inde ipſam ſacri lavacri undam frigidiorem aliquando fune-

---

(*a*) Unde & cutis illam rubedinem quaſi inflammatoriam repetit BROUZET l. c. p. 48. ac primam febriculam credit, quae excretione meconii ſolveretur p. 69.

(*b*) *Von Erzeihung der Kinder* p. 25.

(*c*) HALLER Elem. T. IV. p. 198.

ſiam extitiſſe, MAURICEAU exemplum refert (*a*); cum oſſium cranii tenuior compages eaque necdum continua, ſed per fontanellas dehiſcens, vi frigoris penetranti haud ſatis reſiſtat. Ab extremorum infantis recens nati in aquam frigidam immerſione natum icterum brevique mortem ſecutam deſcribunt MISCEL. N. C. (*b*). Vino hinc tepido primum abluendos detergendoſque vult BALLEXSERDE (*c*), balneaque frigida ipſaſque ſacri fontis frigidiores aquas reiicit. Aquam moderate calidam, cui modica ſaponis vel & vini quantitas adiecta, commendat SWIETENIUS (*d*). Sed cum caloris, praeſertim humidi, vim ſumme relaxantem conſideremus, cum qua laxitate, uti imminuta partium cohaeſio, ita debilitas coniuncta eſt (*e*); ſequitur eo diutius continuato calidorum balneorum uſu, fibras non tam cutaneas, quam totius demum ſolidae compagis vires infirmari quam maxime: inde debilioribus vaſis

---

(*a*) C. V. Obſ. 422. ſimilem ALBERTI obſerv. refert BROUZET l. c. p. 64.
(*b*) Ann. 1. Dec. 3. Obſ. 86.
(*c*) L. c. p. 14.
(*d*) T. 4. p. 648.
(*e*) Capilli ipſi calida debilitati ad $\frac{0}{10}$ roboris ſui viſi ſunt exp. ROBINSONII. HALLER elem. T. V. p. 36.

cutaneis perſpiratio aequabilis, unde tantum ſanitatis momentum pendet, turbatur, quae, uti omnis ſecretio, ipſas vaſorum vitales vires ſequitur: congeritur in vaſa haec debiliora acre liquidum, atque glandularum cutanearum ſmegmatico humori immerſum, exanthemata effingit moleſtiſſima; omnes fibrae laxae morbi ſuam inde originem repetunt: ad balnea adeo ſenſim frigidiora & aquarum e fonte continuo hauſtarum uſum accedendum, ut roborata fibra cutanea, vaſorum cutaneorum officia rite vigeant, tranſpiratio ſuccedat optime, neque facile aëris viciſſitudine turbanda; rachitidem, obſtructiones, morbos cutaneos, ipſaſque huic aetati adeo faciles convulſiones praecaveri monet TISSOT (*a*), atque ea methodo univerſalius inducta, communem prolium ſtragem maximopere imminutum iri, merito exſpectat; pueris inde robur, agilitatem, calorem augeri, hernias faciles, tuſſim, ſcrophulas arceri adnotat MACKENZIE (*b*); rachitidem angliae ignotam refert FLOYERUS, cum immerſio plenaria in aquam frigidam ab omnibus ſanctiſſime colere-

tur,

(*a*) Avis au peuple §. 340.
(*b*) *Geſchichte der Geſundheit* p. 166.

tur, cum hac demum neglecta, caput extuliſſe (*a*). In curanda rachitide ſummum in balneis frigidis momentum ponit HUXHAM (*b*). Iis infantes ſuos ita roborare Indos, ut nullos luſcos, claudos valgoſque reperias, teſtis eſt FURSTENAU (*c*). Quae certe roborandi virtus in adplicata frigida, in excoriationibus, ulceribuſque cutaneis ſaepe chronicis adparet, quas optime aqua fluviali aut pluviali frigida adplicata curari, quotidiana obſervatio docet (*d*). Roboratis vaſis cutaneis, unde & acre excutiatur facilius, & ulteriori adfluxui reſiſtatur, & quae ipſa vaſis debilitate fit, morboſa liquidi degeneratio impediatur. Verum licet infantibus, quo debiliores ſunt, eo maiora inde commoda ab immerſione in frigidam, aut crebris cum ea lotionibus ſperanda videantur; cautelae tamen ſunt, quas probe exponit MACKENZIE, l. c. ut inde perſpiciatur; an calorem maioremque agilitatem commonſtret infans a lotione vel extractione ex aquis; ſi pallidus inde, aut artus quidam a frigore rigidus adpa-

(*a*) Conf. LUDERS de educ. liberor. med. p. 7.
(*b*) T. 2. pag. 39.
(*c*) De med. Indorum Vol. 6. pr. HALLER p. 774.
(*d*) Conf. *Froenckiſche Anmerck* T. 4. p. 122.

reat, taliſque aliquandiu maneat, aut omittendum per aliquot dies, vel plane intermittendum eſſet hoc ab aquis frigidis ſubſidium. Alias balneorum frigidorum cautelas habet VAN SWIETEN (*a*): ut ſenſim fiat immerſio, ac pedum primo, dein reliqui ſucceſſive corporis.

§. VII.

Inchoata ergo nunc inſpiratione infantis nati viſcera varie moventur, ac ſopitus ventriculi inteſtinorumque motus, animatus, validiore fibrarum contractione agit; ipſa bilis reliquaque liquida liberiora in inteſtina defluunt; ſanguinis omniumque liquidorum motus acceleratur, vegetiorique circulo inſtauratur. Unde ſummum, tum in diſſolvendo glutine inteſtina replente, momentum, tum & alimenti ſenſim ſuccreſcit neceſſitas: quod ex iiſdem humoribus, quibus foetus hucuſque adolevit, natura parat tenerrime fabricae ſumme accommodatum, dum contractis uteri vaſis, liquidum in mammas ex vaſorum utrobique ſecretoriorum analogia (*b*) derivat, novoſque alimenti fontes aperit. Se-

---

(*a*) T. III. p. 661.
(*b*) HALLER, prim. lin. phyſ. §. 818.

cernitur lac tenue ſeroſum primo ſalinumque, quod novellae digeſtionis operae ſufficiat, ac tenacem inteſtinorum ſaburram commode diſſolvat ac expellat, vaſa lactea ſubiens humores ſolvat, novo fibrarum nervearum muſcularium-que ſtimulo vim vitae plenius excitet; donec creſcentibus infantis viribus, dilatatis magis mammarum vaſis, lac ſenſim craſſius pingiuſque, poſt tertiam diem ſecernatur (*a*), in quo ſecretionis modo ordineque peculiarem naturae operam miramur, quam non niſi temere contemnunt, qui primum illud lac tanquam nocivum reiiciunt. Sed de tempore quaeritur, quo primum mammis infans adplicandus ſit? Alii non niſi expurgato meconio id volunt, quo lac ſuctum cum ſummis incommodis ipſarum convulſionum metu coagularetur, adeoque non niſi decem, vel duodecim poſt horas admovendum volunt (*b*), aliique 24 horas requirunt (*c*); quod, licet de lacte alieno, craſſo ac pingui potius metuendum, atque ieiunium quidem pri-

(*a*) PLATTNER, opuſc. T. 1. p. 264.
(*b*) *Bremiſches Magazin* Vol. 1. p. 53. DESESSARZ p. 85.
(*c*) TISSOT avis au peuple §. 338. BALLEXSER. DE l. c. p. 13.

mum decem vel 12 horarum maxime ad gluten illud ſolvendum conferat (*a*): minus tamen metus habet paucum tenueque lac primum, quod ad expellendam ſaburram vires addit, exhibito, uti ſolet plerumque, ſolvente ac ſaponaceo remedio, melle cum pauco vino, ſyrupo quodam cum ſoluto ſapone veneto; ut, ſi maturae lactationis commoda conſideremus, illorum placeat conſilium, quo ſomno aliquot horarum refecta puerpera, ſumptoque iuſculo, eſurienti puero mammam praebere iubetur; febrim lacteam inde praecaveri, dilatatis tubulis lactiferis, ac portione lactis educta, nimiam ac imperuoſam mammarum diſtenſionem, cui debilis pueri ſuctio haud ſufficit, indeque plures mammarum noxas impediri, contendit ROSNERUS (*b*); quod, & idem SWIETENII conſilium eſt (*c*): niſi quidem manifeſtum earum vitium vaſa pro recipiendo lacte minus dilatabilia huicque inepta reddat, aut, quod in primiparis ſaepe fit, vaſa magis reſiſtentia ſeriorem lactis ac difficiliorem impulſum ac dilatationem admittant; in quibus praematurae ſuctionis noxa eſt, monente LOE-

---

(*a*) V. SWIETEN, T. IV. p. 655.
(*b*) De viribus lactis, Vol. 7. HALL. pract. p. 239.
(*c*) T. IV. p. 608.

SEKE (a); ſed creſcentes indies infantis vires copioſius nutrimentum exigunt, cui & ipſa natura invigilat, lac tenue primum, ſeroſumque paullatim craſſius ac dulci cremore ditiſſimum reddendo, largiori nutritioni aptum. Sed eo in lactationis opere momentum probe notandum eſt, ut recens nato, dum proxime ab eo tempore, quo liquidi materni continuo adfluxu nutriebatur, abeſt, frequentius ac definitis horis ubera praebeantur, omni bihorio parum ſimul & ſemel ſugat, ne aut nimia diſtenſione offendatur debilis ventriculus, aut lactis male digeſti coagulo variiſque noxis gravetur; ſed illa alimenti copia praeſto ſit, quae nutrimento hac aetate inter reliquas vitae periodos maximo, ſufficiat. Adultiori infanti & trimeſtri copia maior lactis convenit, neque tam frequens, quae & nutritioni, & probae digeſtioni ſufficiat: parciora ubera, quae tota ſugendo exhauriat infans, ſanitati conducere optime, ruſticorum infantum ſaniſſimorum exempla docent, qui eiulatui relicti, matres ab agreſti opere reduces non niſi ter quaterve de die vident excipiuntque avidius, ſanitate non tam illibata, quam

(a) Therap. ſpec. T. 4. p. 187.

incremento roboreque corporis indies aucto. Ploratum adeo clamoremque, quod pulmones dilatet melius, nares, os, oculos expurget, calorem nativum vegetiorem reddat, non nimis inhibendum PARAEUS vult (*a*), ſed cauſſae indagandae potius, quae multiplices, tum a meconii retenti portione (*b*), tum faſciarum iniquo genere, tum ſordium relictarum acrimonia pendent, maxime vero ab ipſo nutrimenti genere lactandique modo, quo lac ad ſingulos clamores nimis copioſe ingeſtum, aut pinguius, tenellum ventriculum moleſtius adficit, atque coagula magis ſenſim acida, vomitiones, ructus, ſingultus, tormina, flatus, foeces congrumatas, aeres virideſcenteſque; alvi conſtipationes, urinae ſuppreſſionem, pavores ac maiora mala producit: ut his in eiulatu nimio potius cibum omnem detrahendum, recte conſulat PLATTNER (*c*), ut abſtinentia ventriculi vitia corrigat (*d*), quae continuato errore in ſumma mala invaleſcunt.

(*a*) Op. p. 680. it. LANCISIUS de Corde p. 58.
(*b*) V. SWIETEN, l. c. p. 659.
(*c*) L. c. T. 1. p. 274.
(*d*) Lactationis nimiae noxas exponit V. SWIETEN l. c. p. 680.

§. VIII.

Sed, quod per univerſum animalium regnum natura officii genus impoſuit, corporiſque ea ſub lege fabricam aptavit, mutuique amoris ſancivit vinculo, dolendum ſane vel corporis vel animi vitio ſaepius impediri, vel haberi negligentius, ut propriae delicatiori corporis culturae & commoditatibus hoc naturae amoriſque ſtudium cedat, ac alieno & meretricio toties lacti mercenariae nutricis committatur, quod ſanctiſſima adeo lege natura imperat; hanc naturae obligationem veteres philoſophi perſpexere optime, inter quos FAVORINI ſenſa refert GELLIUS (a) „ oro te, inquit, mu„ lier, ſine eam totam, integram eſſe matrem „ filii ſui, quid eſt enim hoc contra naturam „ imperfectum atque dimidiatum matris genus, „ peperiſſe ac ſtatim ab ſeſe abieciſſe? aluiſſe „ in utero ſanguine ſuo, neſcio quid, quod „ non videret, non alere nunc ſuo lacte, quod „ videat iam viventem, iam hominem, iam „ matris officia implorantem: an tu quoque „ inquit, putas naturam foeminis mammarum

(a) A. GELLII noct. att. L. XII. c. 1.

„ ubera quaſi quoſdam naevulos venuſtiores ,
„ non liberum alendorum, ſed ornandi pectoris
„ cauſſa dediſſe? ſic enim, quod a vobis ſcilicet
„ abeſt, pleraeque iſtae prodigioſae mulieres
„ fontem illum ſanctiſſimum corporis, humani
„ generis educatorem, arefacere & relinquere
„ cum periculo averſi corruptique lactis labo-
„ rant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignia
„ devenuſtet: quod quidem faciunt eadem ve-
„ cordia, qua quibuſdam commentitiiſque frau-
„ dibus nituntur, ut foetus quoque ipſi in cor-
„ pore ſuo concepti aboriantur, aequor illud
„ ventris irrugetur, ac de gravitate oneris &
„ labore partus fatiſcat, quod cum ſit publica
„ deteſtatione communique odio dignum, in
„ ipſis hominum primordiis, dum fingitur,
„ dum animatur, inter ipſas artifices naturae
„ manus interfectum ire, quantulum hinc
„ abeſt, iam perfectum, iam genitum, iam
„ filium, proprii atque conſueti, ac cogniti
„ ſanguinis alimonia privare “ ! Sed ſi veteris philoſophi oratio minus ad perſuadendum virium habet, audi naturam, ſaeviſſimis toties tum materni tum infantilis corporis noxis legem ſuam vindicantem.

Largioris certe cuiuſcunque ſecretionis & excretionis laeſae prohibitaeque, uti inſignis

ſemper in corpore iniuria eſt, ita & par huius excretionis neglectae ratio ac noxa eſt in ſecretorio non tam organo, quam per univerſum corpus diffuſa: mammarum ſequitur diſtenſio, tumor dolorque, vaſis novo liquidi impulſu nimis dilatatis, ut vaſorum tum ſanguineorum, tum lacteorum invaleſcente obſtructione, inflammatio, febris, ſuppuratio vario tumoris genere ac vario periculo increſcat; dum vel liquidis in celluloſam effuſis, aequabilis tumoris facie, faciliora mala, inaequalibus vero tuberculis, quae ipſius glandulae vitia indicant, difficiliora portendit (*a*), queis relictus toties ſcirrhus perpetuo carcinomatis metu cruciat; ac certe lactis ſtagnantis mutationes ſolitae, partium mutua feceſſio, ſeri aquoſi expreſſio, cremoris pinguis contracta per calorem febrilem rancescentia, caſeoſae partis mutatio in putridum (*b*), horum adfectuum vehementiam ac periculum docent. Sed reſorpti demum, & in communem humorum maſſam reducti lactis varii in ipſo corpore effectus ſunt: dum copioſus, craſſus pinguiſque humor in corpore, praegreſſis partus laboribus debili, plethoram gignit, quam

(*a*) V. SWIETEN, l. c. p. 640.
(*b*) V. SWIETEN, T. IV. p. 637.

ad vires vocant, atque attritui vaſorum vitali calorique cum ſanguine ſubiectum, in acrimoniam ſaepe peſſimam degenerat (*a*), cum novae violentae, & ſaepe lethalis febris excitatae eventu. Dolor capitis enormis, ſcintillantes oculi, pulſus fortiores celerioreſque, dolores artuum rheumatici, hanc vaſorum plenitudinem ſtimuloſque violentos docent, cum variis humorum in varias partes congeſtionibus; niſi mature ſalutaris per tranſpirationem, ſudorem, urinas, alvum, lochia, menſtrua, evacuatio ſupervenerit (*b*); verum minus felici hac naturae opera, acre magis evectum varias morborum ſaeviſſimorum formas effingit, ut pleuritidem, phrenitidem aliarumque partium inflammationes, purpuram illam toties puerperis lethalem, facta in cutem metaſtaſi producat (*c*). Eryſipelatoſa febris alias adfligit, lato exanthemate faciem defoedans: alias maiori felicitate moleſtiſſimis faciei puſtulis, variiſque ac crebris per corpus furunculis notat (*d*), atque ſollicita illa pulchritudinis ſtudia enervat. Sed & pari

(*a*) DESESSARZ, l. c. p. 186.
(*b*) GAUBIUS, pathol. §. 564.
(*c*) Recueil periodique par Mr. VANDERMONDE T. VI. art. 4.
(*d*) DESESSARZ, l. c.

ratione pulmonum tubercula, insultus asthmaticos, viscerum infarctus, uberrimos sudores foetidos cum urinis turbidis, febres indomabiles, tremores, convulsiones, stuporem, paralysin induci adnotat LIEUTAUD (*a*): sed maiora toties a lactis repercussi congestione, ac metastasi mala sunt; per alias vias & organa secretoria non tam effusum visum est, uti per renes diabetis specie, per alvum, per vasa salivalia exereti observationes refert HALLERUS (*b*), quam per ipsa vasa exhalantia abdominis in eiusdem cavo asciten lacteum efficit; unde maximam puerperarum partem a medio tolli testatur de SAUVAGES (*c*), varias has in cavum cranii pectorisque, atque alias partes metastases atque effusiones adnotat SWIETENIUS (*d*), in cameram oculi effusum refert de SAUVAGE (*e*): verum frequentior lactis repressi nataeque plethorae in uterum impetus esse solet ob manifestum uteri cum mammis consensum: prima docent lochiorum inde copiosiorum, ac diutissime saepe fluentium phaenomena vim po-

(*a*) Synopf. univ. prax. med. T. I. p. 465.
(*b*) Element. ph. T. II. p. 373.
(*c*) Nosol. T. II. p. 469.
(*d*) T. IV. p. 610.
(*e*) Ibid. T. III. p. 259.

tiſſimam vaſis uterinus inferri, uti lactantibus pauciora lochia ab lib. 1 vel lib. 1 β adnotat de HAEN (*a*), non lactantibus largiora & diuturniora, per 40, & ultra dies, fluentia teſtatur BALLEXSERDE (*b*), SWIETENIUS (*c*); ſed adparet hoc in vaſa uteri impetu, niſi quidem omnia dilatabilia ſatis, atque ad recipiendos humores apta invenerit, quantum hic obſtructionis atque inflammationis periculum flagret (*d*), in tanta uteri, atque a partu praeſertim maiore irritabilitate (*e*); unde peſſima febris, cum ſumma virium proſtratione atque purpureo potiſſimum exanthemate, toties funeſta emergit: ſed re felicius quidem cedente, vaſa uteri nimia dilatatione ſuo a vitali tono deiiciuntur, ut debiliore oſculo craſſiora liquida perpetuo in cavum uteri demittant, ac perpetuo fluore albo divexent (*f*); quo corporis univerſi ſenſim fatiſcit robur, magnaque muliercularum pars peſſumdatur (*g*), relicta ſaepe vaſorum ali-

---

(*a*) Nat. med. T. 4. p. 205.
(*b*) L. c. p. 36.
(*c*) L. c. p. 593.
(*d*) ZIMMERMANN, *von der Erfahrung*, T. 2. p. 428.
(*e*) V. SWIETEN, l. c. p. 616.
(*f*) BALLEXSERDE, l. c. p. 37.
(*g*) TISSOT, de febr. bil. p. 258.

quorum obſtructione ſcirrhoſa, demum maiori aetate ac periculoſa illa ceſſantium menſtruorum epocha, in funeſtum carcinoma dehiſcente.

§. IX.

Sed nec minora toties mala teneros alumnos feriunt, quibuſdum a ſuccis maternis, quibus feliciter hactenus corporis, ſtructam debent fabricam, depelluntur, idem fere, ac plantis accidit, quae a natali ſolo translatae radicibus non bene firmatis facile areſcunt, aut ſucco alieno turgentes a naturali forma in alienam deflectunt luxuriem; ita certe in humoris nutritii perfectionem propria ac ſingularis corporis fabrica atque idioſyncraſia laborat, ut nullo alio, licet ſaniſſimo alterius corporis humore ſuppleri compenſarique poſſit, perinde ac per transfuſum ex ſano corpore ſanguinem nunquam bonos humores reſtituas, quippe proprii corporis fabrica parandos (*a*): pari ratione lac alienum, quamvis omni charactere ſaniſſimum, fere ſemper infra illam virtutem nutriendi erit, quae eſt in materno, cui hactenus adſuevit tenella fabrica, ipſius naturae opera ac lege

---

(*a*) RICHTER, de cunis infant. §. V.

parato. Sed primae a negato primo lacte nativam ſaburram expurgante, noxae ſunt, queis vel retento, vel non ſatis eliminato meconio, funeſta ſymptomata emergunt; in qua re licet artis ac medicamenti ſolventis ac ſaponacei poteſtas ſit ad illa praecavenda, imitari tamen naturam haud licet, quae pro creſcentis aetatis viribus lactis conditionem mutat, ac digeſtionis operae ac definitae teneri corporis indigentiae accommodat; naſcuntur ſupradicti malae digeſtionis effectus ac ſaburra caſeoſa, propria degeneratione, partim acido, partim alcalino ſpontaneo in ſaevam corruptelam confluit, quam nec ipſa bilis emendare poſſit, ut cum ea potius in corroſivam indolem linteamina exedentem pervertatur; virideſcentis excrementi, quod cum atrocibus ventris torminibus, inquietudine, febre, motibus convulſivis, ipſaque epilepſia coniunctum eſt, recte a bile per mixtum acidum corrupta, ratio petitur; quam experimenta BAGLIVII (*a*), BOHNIIQUE (*b*) confirmant, queis bilis, quo fortiori acido miſcetur, in colorem eo magis virideſcentem, imo

(*a*) Oper. om. p. 284.
(*b*) Circul. anat. p. 280.

in aeruginoſum obſcurum mutatur (*a*), diſparetque adfuſo oleo tartari per deliq. (*b*); queis in caſibus inſufficientia toties artis ſubſidia, crebra infantum funera docent (*c*). Sed & ultra primas vias alieni pinguioriſque lactis noxae ſunt: dum debilia pulmonum vaſa gravat, cum magna reſpirandi difficultate, atque dum eidem in boni ſanguinis dotes mutando, vaſorum debilis actio haud ſufficit, aquoſo ac pituitoſo humore totum ſenſim corpus inundat, ut obeſitatis quidem ac ſanitatis ſpecie fallat, ſed plura ſimul morborum recondat ſeminia. Verum cum in lac ipſum tranſire omnia liquidorum vitia poſſint, tum quae a primarum viarum viſcerumque, ac malae digeſtionis vitiis promanant, tum quae circulantium humorum maſſae inhaerent, e qua immerſus antea chylus, ac vaſorum vitali actione emendatus, lactis ſpecie ſecernitur; uti variorum morborum, ipſius etiam calculi, dyſenteriae, epilepſiae, ſcorbuti, omnium, qui a pituitoſis humorum vitiis pendent,

---

(*a*) HUXHAM, op. T. III. p. 67. 69. TRALLES, hiſt. chol. p. 212.

(*b*) LOESEKE, therap. ſpec. p. 204. T. IV.

(*c*) Canum, feliumque foetus praematurius a lacte materno depulſos, & lacte vaccino nutritos, cum torminibus, convulſionibus, vermibus mortuos vidit DESESSARZ, l. c. p. 271.

uti glanduloſarum obſtructionum ac tumorum ſcrophuloſorum (*a*), &, qui potiſſimus metus eſt, contractae per furtivam venerem pernicialis ſyphilidis per lac infanti communicatae exempla refert PLATTNERUS (*b*), ita a largiore quidem ſecretione, ac copioſiori liquidorum in vaſa mammaria adplicatione, tum maiori nervorum irritabilitate fit, ut haec prae aliis vitio corporis animique adficiantur (*c*). Animi quoque, ac ſcelerum vim in lac ipſum, quo & infantum animus contaminari poſſit, plurima exempla probant: per iram lac reddi noxium venenatumque, triſtis ſaepe obſervatio loquitur; ut epilepſia etiam per reliquam vitam manſerit (*d*), communis obſervatorum celeberrimorum conſenſus docet (*e*), ut nutrice timore, aut ira incitata, lac omne emulgendum, negandumque infanti conſulant (*f*). Venere lac contaminari, tum

---

(*a*) DESESSARZ, l. c. p. 217.
(*b*) Opuſc. T. I. p. 255. 261.
(*c*) KRAUSE, de naevis maternis. *Hamb. Magaz.* Vol. XX. p. 119.
(*d*) PLATTNERUS, l. c. p. 283.
(*e*) KRUGER, l. c. p. 33. BOERHAAVE de morb. nerv. p. 556. HARRIS, de morb. infant. p. 7.
(*f*) LANGHUTH, de regimine lactentium. P. VII. PLATTNER, l. c. p. 284.

tum veterum iam obſervatis datiſque inde legibus (*a*) tum recentiorum exemplis confirmatur; ut peiorem vero clandeſtinum amorem, veneriſque cupidinem, ac nocentiorem declaret PLATTNERUS (*b*); unde natae infantum aegritudines difficulter & cognoſcantur, & curentur: atque eum quoque in ipſum animi habitum moreſque influxum celeberrimi viri teſtantur; licet obſcuriſſima eius rei ratio ſit, quia partium, in quibus maxime mentis in corpus, corporiſque in mentem actio eſt, tanta eſt ſubtilitas, quae omnem ingenii induſtriaeque humanae vim eludat (*c*). A malae moratae nutricis lacte infantis bene nati animus corrumpitur, atque in turpiſſima flagitia a ſua ſtirpe prorſus aliena deflectitur: familiarum aliquando diſſidia ſtatrumque odia eo maxime fonte inaequalis atque alieni, ſaepe turpiſſimi lactis, quod tenerrima fere ſtamina aedificavit, ac temperamentum condidit, derivat BALLEX-

(*a*) FULVIUS olim SABINAM puteo mergi, & corrivalem ſecuri percuti iuſſit, quia compreſſa DRUSIAM lactavit. GARM de mirac. mortuor. p. 653.

(*b*) L. c. p. 288.

(*c*) GAUBIUS, ſermone academ. I. de regimine mentis p. 98.

SERDE (*a*). Extra dubium ponit PLATTNERUS (*b*), victum reſque omnes, quarum uſu vita continetur, ad animi habitum moreſque aliquid conferre, quo in argumento pluribus elegantibus momentis verſatur; alii variis obſervationibus comprobant (*c*) perinde, ac veteres iam homines, immanitate eminentes, tygridum duxiſſe ubera, dixere (*d*). Dum certe animi propenſio ac impetus temperamenti rationem definitam, ſed mere corpoream ſequitur, quae maxime victus norma conciliatur, aut emendari poteſt aut augeri etiam (*e*); cuius in teneriore corpore eo maior energia eſt, quo ſtaminibus adhucdum imperfectioribus maior a victu perfectio ac ſoliditas accedit, maxime in ſubtilioribus ac nobilioribus partibus, cerebro, nervis, ſpiritibus, a quorum certo habitu temperamenta repetit HEUERMANN (*f*). Quanquam hic id monere oporteat, non perpetuam conſtantiſſi-

---

(*a*) L. c. p. 60.
(*b*) L. c. p. 283.
(*c*) Nov. act. phyſ. med. T. I. obſ. XVI. KRUGER, l. c. p. 33. Caſp. a REIES camp. quaeſt. iucund. q. 47.
(*d*) VIRGILIUS AENEID. L. IV. v. 365. OVIDIUS Triſt. L. I. & L. VIII.
(*e*) HALLER, elem. T. II. p. 143. 147.
(*f*) Phyſiol. T. II. p. 416.

mamque hanc esse sceleratae nutricis in alumni animum efformandum facultatem: uti vario ex argumento dubitat SWIETENIUS (*a*), ipseque BROUZET (*b*), se a nutrice vino dedita absque vitio aut corporis, aut animi inde oriundo, educatum testatur. Attamen, tanti hoc momenti visum est viris celeberrimis; ut cum deleta pristina morum vitaeque integritate, vitia nostris praedominari temporibus, morborum adeo & criminum seminia una cum humano lacte in infantes propagari credant; unde nec ipsae toties excipiendae matres essent, magno generis humani bono fieri consulant, ut humano lacti in nutrimentum infantis lac brutorum animalium domesticorum substituatur, quae quippe adfectibus animi ac perturbationibus nec obnoxia, nec morbis subiecta facile, sic ali regique possint, ut optime valeant, & lac bonum fundant, unde & morborum & scelerum scaturiginem obstructum iri, generisque humani imbecillitatem sensim emendandam sperant (*c*): quod,

(*a*) T. IV. p. 669.
(*b*) Education medicinale des enfans p. 175.
(*c*) VANDERMONDE Essai sur la maniere de perfectioner l'espece humaine. Conf. Comm. de reb. in sc. nat. & med. gest. Vol. VI. p. 451. eandem senten-

quanquam ſatis ab aliis refutatum ſit (a), tum quod omnino melius de ſaeculo noſtro cenſendum ſit, neque deſint virtutes, licet vitia numeroſa fuerint; tum quod tolerabilior omnino ſit homo, qui animi perturbatione impulſus, quandoque vitioſe agit, quam alius, cuius mores cum feritate, immanitate ac ſtupiditate beſtiarum congruunt, qui nec conſilio nec iudicio regi poſſint; tum quod optime ſemper ipſius naturae inſtitutum amplectendum ſit, quae ſola novit liquida, pro determinata vaſorum ratione ac diametro, ac peculiari corporis fabrica parare. Sunt nihilominus, qui dum lactis humani defectu ad brutorum lactis ſubſidia confugere neceſſitas iubet aliquando, eo in delectu animalis inclinationes attendendas, indeque liquidorum indolem iudicandam eſſe ſuadent, qua emendari poſſit cognitum humorum humanorum vitium, indeque pendens totius corporis conſtitutio; ita, quibus ſegnior humorum motus, ac tardiora pigrioraque corpora ſunt, lacte vividioris atque alacrioris animalis ſuccurrendum

---

tiam defendit LUDERS de educ. Liber. §. X. BROUZET l. c. praeface p. 41.

(a) V. SWIETEN, T. IV. p. 668. 669. BALLEXSERDE, l. c. p. 58. UNZER, *Wochenſchrift der Arzt* T. I. p. 193.

ſit; unde populis ſeptentrionalibus lac caprinum, Italis vaccinum, aliis mediae indolis lac praeſcribit BALLEXSERDE (*a*); quo illorum tarda corpora, pigrioreſque animi, horum vivacitas vanitaſque lactis oppoſita indole corrigentur (*b*).

§. X.

Sed humano lacti, eique materno primas merito deferimus partes, matremque in officio tam nobili neceſſarioque ad corpus, non tam ad probas diaetae leges, quam animum ad morum probitatem, a gravioribus adfectibus alienam componendum ſedulo hortamur. Sed varia quidem huius officii impedimenta ſunt, quae

(*a*) L. c. p. 62. 63.

(*b*) Si quidem vera ſit, quae ex ſpectatore Anglico apud UNZERUM, l. c. p. 329. extat, hiſtoria viri probi integrique, animo in actionibus compoſito, diſcretoque, qui, cum lacte caprino educatus eſſet, ſaepe, cum ſolus degeret, ſaltibus efferri exercerique gaudebat. Puerum refert a REIES q. 41. lacte porcino nutritum, qui adoleſcens, in edendo bibendoque ſpurcus atque intemperatus adeo evaſit, ut nullam ſui cultus curam haberet, quin lutoſa & coenoſa loca adeo optabat, ut in eis perpetuo volutari appetierit, imo remotis arbitris, ſe in iſtis volutaverit.

lactationem propriam vel difficillimam, vel impossibilem saepe, vel cum magno matris periculo coniunctam reddunt. Mammarum papillarumque vitia huc pertinent, dum vel nimis parvae latentesque papillae educi, atque infante adprehendi nequeunt; quod in primiparis, neglecta matura infantis adplicatione, intumescente ab impulsu sanguinis mamma, fit, &, licet variis adminiculis artis emendari id vitii saepe possit, saepe mala papillae conformatio artem eludit, quae diuturna a thoracibus angustioribus foemellarum compressione inducitur (*a*); papillarum fissurae, atque ulcuscula, vel lactis, vel salivae infantilis acrioris influxu, vel infantilis oris, nimis atterentis vi conciliatae, uti a summa partis sensibilitate ingentes fugendo dolores, ita & totius saepe mammae inflammationem creant, nec semper remediis lubricantibus, demulcentibusque cedunt. In aliis lactis defectus peccat, vel ipsorum vasorum mammariorum nimis contractorum aut plane obstructorum & concretorum vitio, ut lacti adpulso cedere nequeant; quod in habitu corporis torosiore, ac solidorum nimia strictura, atque aetate puerpe-

(*a*) LOESEKE, therap. spec. T. IV. p. 172. V. SWIETEN, l. c.

rae provectiore fit, aliquando ductuum lactiferorum compreſſione ab adipe incumbente in maiori obeſitate (*a*); maxime ſi contractioribus vaſis prima illa a fotu, frictione leni, ac frequentiori ſuctu, adminicula mollities puerperae neglexerit: vel aliis evacuationibus largioribus per alvum, ſudores, ipſaque lochia copioſiora, queis in mammas influxus ſuſpenditur; vel totius corporis ac viſcerum chylopoeion debilitate fit, ut probi chyli lactiſque penuria, aut morbo puerperae, aut victus parcioris, gravioris, ac coctu difficilioris culpa, aut continuato animi adfectu, moeſtitiae aut amoris taciti peccet. Quae vitia, licet complura artis adminiculis corrigi poſſint: non enim deſperandum recte cenſet SWIETENIUS l. c., cum hiſtoria medica doceat, non tantum virginibus, ſed & viris lac in mammas derivatum fuiſſe, dum moroſos infantes vanae, ut putabant, lactationis ſpecie placare conabantur: neglecta tamen, liquidi huius deinceps ſecretionem negant. In aliis ubertas lactis peccat & infanti & matri ſumme noxia, quod tum effectu corporis iam

(*a*) V. SWIETEN, l. c. p. 645. atque inde maiores mammas minore lactis copia ſcatere conſtat, l. c. p. 670.

debilioris, & ſolidae partis nimis relaxatae, tum humorum maternorum nimis reſolutorum vitio contingens, aut phthiſicam corporis diſpoſitionem, vel ſcorbuticam ſupponit (*a*), aut crebriore lactatione ingenti humoris nutritii iactura inducit, cum aucta inde humorum acrimonia, ſiti, febricula accenſa, atque aucto indies maraſmo corporis, ac debilitate; quos effectus probe exponit SWIETEN (*b*), item GAUBIUS (*c*), KLOEKHOF (*d*), aliique. Atque eo quidem magis attendendos cupit LUDWIGIUS (*e*), quo magis cum hyſterici morbi effectibus confundi ſolent, cum quibus quoad ſpaſmos ac lypothymias, aliaque quae a debilitate nervoſa pendent, effecta conveniunt,

---

(*a*) Lactis copia in foeminis, vel conſpicua ad phthiſin diſpoſitione, vel ipſa phthiſi laborantibus eadem ratione adeſt ſaepe, qua & gravidae infantes praeter morem craſſos, toroſos, magnoſque alunt toties, & enituntur, obſervante ROEDERER, de temporum in graviditate, & partu aeſtimatione §. X. gelatina nutritia haud intimius humorum maſſae commixta, ſubactaque, ſed facile per placentam ex utero, in abundans embryonis beneficium, devorata quaſi hauſtaque.

(*b*) L. c. p. 645.

(*c*) Pathol. §. 564.

(*d*) De morbis animi p. 37.

(*e*) Progr. de excretionibus immoderatis ut cauſſa debilitatis in morbis p. 10.

neque adeo tum in obesis, tum macilentis, negligendos vult, ut nascitura rescindantur mala: phthisin inde inductam pluribus observationibus refert MORTONUS (*a*), eumque metum, adparentibus praecipue dictis symptomatibus, cum oppressione hypochondriaca vel hysterica, adpetitu imminuto, ingruentibus aliis a spirituum penuria ac debilitato nervorum tenore phaenomenis, succedente demum calore extremitatum, hectico incutit. Tabidam corpori induci dispositionem, atque varia debilitatis, & liquidorum a naturali crasi diffluentium effecta, fluorem album, pustulas toto corpore natas, sudores profusos, memorat RAMAZZINI (*b*).

Queis adeo in casibus, ut servetur matris incolumitas, arcendum a lacte materno infantem esse adparet, nisi probis diaetae regulis, victu demulcente, blando, gelatinoso, quem praescribit SWIETEN l. c. ac minus crebra infantis lactatione, addita corporis exercitatione placida, animoque ad laetitiam composito, aliis probae digestionis subsidiis, nimiae humorum nutritiorum iacturae viribusque maternis succurri

(*a*) Phthisiol. p. 14.
(*b*) De morb. opif. cap. 19.

poſſit. Infantum quoque eo e lactis genere noxas facile perſpicimus, ſi eoſdem in materno corpore; ac inediae nimiae effectus conſideramus, queis humores acriores redduntur, & ſubputridi (*a*), nimiaque cum alcaleſcentia iuncta tenuitas, facili ſe phaenomeno prodit, qua varii infantum morbi propullulant.

§. XI.

Ea in neceſſitate materno lacti lac alterius foeminae ſubſtituere malimus, quo infantis vitae ſanitatique, optimo quo licet, modo proſpiciatur; quod quippe humani corporis viribus elaboratum, humani & inquilini liquidi charactere imbutum, tum ex uberibus hauſtum, abſque partis ſpirituoſae optimeque perfectae iactura (*b*), vaſa corporis ſubit optime, atque nutritionis materiam facile ulterius elaborandam praebet. Sed ut difficultates ſupradictas eluctе-

---

(*a*) SWIETENIUS, l. c.

(*b*) Immediatae e mammis ſuctionis commoda a parte ſpirituoſa repetit, eamque a nervis ipſis per mammas diſpoſitis, atque uti in omni glandula, ita & hic humores ſuos ſubtiliſſimos effundentibus derivat SWIETEN; unde ratio, quare adfectus animi in lactis mutationes tam valide operentur. Conf. Comment. T. I. p. 30.

mur, plura hic momenta notatu digna sunt: in nutrice ad hoc opus eligenda non tam corporis ipsius constitutionem sanam &, si fieri potest, robustam, inprimis vero ad humorum bonitatem respiciendum esse, praeceptum LUDWIGII est (*a*); atque, si rem accuratius ad artis regulas pensitemus, maiori hic cautela opus; ut lac infanti comparandum, eius viribus digestionis & humorum indoli, ut fieri potest, proxime respondeat. Adeo non externa sanitas & vividus color floridusque, qui non semper sanitatis effectus, sed in phthisicis saepe (*b*), atque viscoribus obstructis accidit, nec lactis salubrior character unice attendi debent, sed potissimum convenientia nutricis cum matre infantis ratione aetatis, formae, temperiei & temporis partus. Si mater iuncea est, talis sit nutrix; si tenera, haec non sit torosa, si iuvenis, haec non sit vetula; si hodie peperit, haec non ante annum; cuius spissius omnino lac est illo naturae perpetuo consilio, quo lactis tenuitatem ac conditionem aetati viribusque coctionis infantis accommodat, neque a tenerioribus infan-

(*a*) Institut. clin. §. 1025.
(*b*) V. SWIETEN, T. III. p. 645. BONETUS sep. T. III. p. 536.

tibus facile digerendum. Errorum circa haec ingens numerus eſt: ſunt, qui robuſtioribus nutricibus ruri peritis optime exiſtimant infantes committi, qui tamen a mollibus & delicatulis parentibus nati, male lac illud agreſte coquunt, quod, uti robuſtiore corpore factum, ita & prolibus robuſtiore nativo ſtamine natis, ipſo naturae conſilio deſtinatum erat. In quo argumento eleganter verſatur PLATTNER (*a*), qui & porro alia ſanitatis externae phaenomena curioſius attendit; ut reiiciat, cui vari, lenticulae, & copioſae ephelides in facie naſcuntur; dentium item obſervationem ſingularem requirit merito, quorum nitor & ſtabilitas, abſque ullo glutinoſo humore adhaerente, bonae valetudinis ſignum conſtituit; cum flavedo dentium, rubiginoſa ſcabrities aut caries cacochymicam humorum diſpoſitionem indicet (*b*). Eadem ratione ſudorem animamque halantem attendit BALLEXSERDE (*c*), ne graveolento odore infecti ſint; atque capillorum ruforum foeminas, ingratum plerumque odorem ſpirantes, eo ab opere excludit, quae lac plerumque magis aci-

---

(*a*) PLATTNER, opuſc. P. I. p. 258.
(*b*) LUDWIG, inſtit. clin. §. 743.
(*c*) L. c. p. 39.

dulum habent; rufis anteponit fuſcorum capillorum, aut nigrorum foeminas LIEUTAUD (*a*). Alia ſanitatis integrae huc phaenomena pertinent, inter quae praecipue attendendum, an fluore albo, vel & menſtruis inter lactandum corripiatur, quae ordinario ea ſub opera ſuppreſſa, ſed fluentia, aut ſingulare laxitatis vaſorum uterinorum vitium, aut quandam ſanguinis ab acri maiorem reſolutionem indicant, atque lactis materiem detrahunt; unde varia tum temporis infantum incommoda naſcuntur. Neque tamen ea in re communibus matronarum conſiliis ſubſcribit SWIETENIUS (*b*), ut nulla adparente ſanitatis mutatione, nec lactis dote naturali mutata, nunquam in mutanda nutrice conſentiat, ac plus omnino a frequenti nutricum mutatione metuendum credat; quod idem HEISTERI (*c*), PLATTNERI (*d*), aliorumque conſilium eſt. Notae vero lactis boni eae praecipue habentur, ut ſit guſtu & olfactu ſuave, & ſpeciatim ratione conſiſtentiae ungui pollicis vel ſpeculo inſtillatum nec diffluat

(*a*) L. c. P. I. p. 483. SMELLIE, P. I. p. 490. DESESSARZ, l. c. p. 214.
(*b*) T. IV. p. 673.
(*c*) Obſ. med. chir. p. 359. 374.
(*d*) L. c. p. 286.

nimis tarde, nec ſubito; ratione coloris ſubcoeruleum, nec nimis albicans, nec in flavedinem declinans, quod nimis tenue acreque eſſe ſolet (*a*). Quod album cum multo cremore, nimis ſpiſſum eſt, atque quo pinguius, eo peius eſſe ſolet (*b*). Ipſam partis ſeroſae & caſeoſae proportionem praecipitatio cum ſpiritu vini rectificato, vel liquore acido facta docere poteſt; dum maior ſeri ratio maiorem tenuitatem, minor craſſitiem, aequalis mediocritatem ſalubrem docet. Varia a ſpiſſo lacte infantum mala ex alvi obſtructione, ac globulis pinguibus duriſque inteſtini motu in colli cellulis compactis, torminibus ac convulſionibus inde ſequentibus (*c*): ratione ſaporis nec ſalſum, nec acidum, nec amaricans ſit, oportet. Neque explorari hoc lac debet, niſi aliquot horis a paſtu nutricis, & in utriſque eius mammis, ubi lac ſemper optimum, ſed continuo a paſtu crudum, nociveumque eſt, uti probe BOERHAAVE (*d*). Eſt enim, licet lac unum videatur, omni fere hora varium, & diverſo gradu nutriens pro du-

---

(*a*) LUDWIG, l. c. §. 1025.
(*b*) KRUGER, *von Erziehung der Kinder*, p. 32. V. SWIETEN, l. c. p. 671.
(*c*) PLATTNER, l. c. p. 266.
(*d*) Praelect. T. IV. P. II. p. 452.

ratione virium coquentium, chylo adplicatarum; dum a paſtu, continuo chylum crudum viribus adſumptorum vitiatum ſiſtit, donec repetita vaſorum viſcerumque actione peregrinus adſumptorum character deleatur; ſed & diutius a paſtu, chylo potiſſima parte in ſerum converſo, lac denuo nauſeoſum evadit. Sed cum tam facilis ab adſumptorum chylique inde parati indole lactis mutatio ſit; primarium eſt, ut probae nutricis diaetae ac digeſtioni invigiletur; pertinent huc ſubſidia omnia ad coctionis probae negotium ſpectantia; exercitatio corporis, inprimis ſi robuſtiores eique ante adſuetae fuerint; quae non ſine gravi chylopoieſios damno omittitur, atque aëri liberiori, cui adſuetae, plerumque relinquantur, quas malo e contra conſilio conclavibus ſaepe anguſtis, aëreque humido impuroque includunt, cum peſſimis & nutricis & infantum noxis (*a*); atque exercitationis hoc genus praecipue in partibus ſuperioribus requiritur (*b*), quo pectus & lacerti cum quadam varietate moventur, ad copioſiorem ſuccum in mammas derivandum; atque cibum antecedat

(*a*) KRUGER, l. c. p. 47. 202. TISSOT, avis §. 341.

(*b*) V. SWIETEN, l. c. p. 673. PLATTNER, l. c. p. 282.

potius, requirit PLATTNER l. c. Post satietatem autem nihil agendum, ne crudus succus ex ventriculo detrusus, cum sanguine ad mammas ducatur. Diaetae ratio convenit tum bonae notae cibis, tum potus genere, cui maxime adsuetа incolumis vixit antea; quam etsi difficiliorem haud mutandam continuo, ipse monet SWIETENIUS (*a*). Multiplex vero hic error dominatur; dum lactis bonitati ac copiae prospectura mater, non nisi victus iurulenti copiam; cibaria omni arte culinaria parata cum potionibus saepe meracioribus praebent, ac debiliorem aliquando adpetitum sollicitant: unde digestionis depravatur integritas, maxime sub aëris impuri inclusi vitaeque sedentariae noxis, lacque ipsum, vel nimiae visciditatis oleosae, vel acrimoniae alcalescentis, in quam facile ea victus genera etiam sub integriori corporis ac coctionis robore abeunt, vitio contaminatur (*b*); unde primariorum puerorum frequens languor ac strages est, acri hoc tenelli corporis fabricae inimico, aut in varias cutis exulcerationes, aut ipsorum viscerum labem abeunte, & tormina atrocia,

(*a*) L. c. p. 672.
(*b*) KRUGER, diaet. p. 36. 39.

atrocia, diarrhoeas saepe sanguinolentas, ac funestas demum convulsiones operante. Quae humorum vitia ipso plerumque spontaneo adpetitu, cui relinquitur nutrix, mixtoque ex acescentibus victu corrigerentur. Sed & ad has lactis mutationes addere oportet, quod supra monitum, illud aliquot a pastu horis demum optimum esse, continuo a pastu crudum nocivumque pro varietate adsumptorum diversum, id quod tenendum praecipue, si crudioribus aliquando haud abstinet nutrix: unde & potus copiosioris, cui sibi plus indulgendum credit aliquando, noxas derivat PLATTNERUS (*a*); quo perpetuo chylus dilutior quidem, sed a perfectione animali alienus, citius in massam sanguinis, ipsaque in ubera praecipiteur; adeo lactis bonitas ipsius chyli perfectionem, viriumque corporis integritatem sequitur. Sed & exercitiis nimiis corporis, aut febre, vel a quacunque maiori vasorum actione, lac acre subflavum, tenue fieri adnotat QUESNAY (*b*), alcalescere febre, testatur HALLERUS (*c*); putri-

(*a*) L. c. p. 278.
(*b*) Act. acad. chir. T. I. p. 105.
(*c*) Elem. T. II. p. 88.

dum fieri, HUXHAM (*a*) item a ieiunio, proſtrato adpetitu, vigiliiſque nimiis, febre cibos nauſeante, potu idem parco, ſudore multo, eaſdem lactis mutationes adnotat LANGGUTH (*b*); queis in caſibus infans ab uberibus arcendus: febrem inde ab infante contractam lethalem memorat DESESSARZ (*c*); dum in largiſſimam hanc ſecrectionem acre quodvis, vel attritu febrili natum, vel morbi materiam alens, vel medicamentorum opera evolutum, ad excretionem diſpoſitum perinde tranſit, ac in aliis organis ſecretoriis, pro ratione ſecretionis plus minus largae, adparet.

§. XII.

Hiſce ſub diaetae praeſidiis maiores ſenſim proprii corpuſculi vires nanciſcitur infans, quae digeſtioni adſumptorum magis a natura ſua alienorum, craſſiorum, ſufficiant, demumque ablactationem exigant: quae & ſua momenta habet, notatu digna: matres indulgentiores ultra annum & ad duos etiam lactationem protrahunt; aliae

---

(*a*) De febr. p. 82. 83.
(*b*) L. c. p. V. VI.
(*c*) L. c. p. 259.

ad ſextum ſaltem & octavum menſem, ſuis ſingulae argumentis fultae; contra quae non niſi inter medicos eloquentior valet. Naturae ductum ſequitur, quae lactationis terminum illum ponere videtur, ubi dentes aliqui ad comminuendos cibos deſtinati, ſex vel octo proruperint; niſi ſingularis adhuc infantis infirmitas tenerius a matre alimentum exegerit: quod artuum imbecillitas, muſculorum cutiſque nimia teneritudo abſque elaſtica toroſitate docet, cui externo fibrarum habitui & interna viſcerum compages reſpondet. Diuturnioris lactationis incommodum illud eſt, ut ſucci nutritii vi nimis accumulata, obeſiores redditi, pituitoſis facilius pateant morbis; licet nec conſtans id vitii genus ſit, ut matre vel nutrice ſana, ac ſalubritate coeli ruralis boni apertique fruente, quotidiano labore exercitata, moribus probis compoſita, nullas a lactatione diutius continuata noxas metuamus (*a*). Urbium rarior haec felicitas eſt, atque dum mater vel nutrix conclavi ſuo incluſa, ſegnitie languet, atque cum lautioris vitae mollitie, variis animi commotio-

(*a*) V. SWIETEN, l. c. p. 689. PLATTNER, l. c. p. 289.

nibus, libidine, iracundia rapitur, quantum a vitae victuſque ſimplicitate abeſt, tam multiplici tum corpus proprium, tum infantem morbo exponit, ut maturius a lacte materno depelli debeat. Sed eo in negotio plura ſunt, quae & matrem & infantem ſpectant, incommoda, lactatione praeſertim ſubito nimis finita, qua inſignis in corpore ſe, & excretio ſupprimitur; cuius vel ipſo organo ſecretorio, vel aliis in partibus corporis, inſignes noxae eſſe poſſunt, quatenus ab accumulata liquidi ſecreti mole glandulae mammarum intumeſcunt, atque inflammantur facile, vel facta in alias partes metaſtaſi ſimile vitium flagrat, de quo ſupra dictum. Uti a ſubita ablactatione phthiſin inductam MORTONUS (*a*) memorat. Infanti ab alieno victus genere id accidit, ut colore vegeto mutato, ſubſidente carnium toroſitate tumidula, diarrhoeis ſaepe moleſtis corripiatur; in quibus rarius quid mali, atque ſeni opii doſi, ac roborantium remediorum ope ſuccurrit VOUNG (*b*), niſi collecta ſaburra, aut viſcerum obſtructio alias indicationes fecerit, opiumque

(*a*) Phthiſiolog. p. 14.
(*b*) De Op. p. 48.

excluſerit (*a*). Sed praecaventur maxime, ſi lacte materno ſenſim detracto cibis aliis infans aſſueſcat.

§. XIII.

Quod quidem monitum paullo minus neceſſarium eſt, dum contrario errore praematurius, ac primis plerumque diebus alia ciborum genera, pulticulas praeſertim farinoſas cum lacte coctas ingerere ſolent (*b*); cum tribus primis menſibus nullo alio cibo, quam materno lacte nutriri oporteat infantem, alimento tum debilitati infantili congruo, tum pro nutritione ſufficiente (*c*); pulticularum harum, infante praeſertim avide ac copioſe lac ſimul ex uberibus hauriente, ingentes tum a copia, quam bis, ter quaterve de die ingerunt, tum a viſciditate cibi noxae ſunt; dum ea virium coctricium debilitate in gluten ſpontaneum tenax, cum acido propria indole magis evoluto abeunt: in quod prae-

(*a*) TRALLES, de Opio p. 141. 142.
(*b*) MAURICEAU, l. c. obſ. 263. mortem infantis feliciter nati, inter tormina, ac convulſiones ſecutam, a pulticula prima die ingeſta deſcribit.
(*c*) V. SWIETEN, l. c. p. 686.

cipue tum farinoforum omnium mucilago, tum & praecipue tritici, & quae ad hoc genus ſpectat, ſpelta, zeaeque glutinoſa natura vertitur, quam experimentis pluribus illa BECCARII imitatus, tentavit expoſuitque KESSELMEYER (*a*), indeque plurimos infantum morbos repetit; quam viſciditatem lac ipſum per coctionem parte tenuiore privatum, ac relicta parte caſeoſa auget. Summa certe tenacitas haud facile ſolubilis, tenuiſſima vaſculorum ſecretoriorum oſcula obſtruit, fibrae inteſtinalis actionem ac robur relaxat, glandularum meſentericarum aliorumque viſcerum abdominis anguſtias obſtipat, atque acido haec inter digeſtionis vitia dominante, lac ingurgitatum caſeoſa coagula addit cum malorum peſſimorum eventu, quo tormina, vomitus, diarrhoeae, excrementa illa, mucoſa viridia, flatuum moleſtiae, atrophiae potiſſimum, aſthmata, cardiogmi, catarrhi ſuffocativi &c. enaſcuntur; motuum convulſivorum varia genera infantili corpori familiaria inde repetit ZIMMERMANN (*b*), atque rachitidis

(*a*) De quorundam vegetabilium principio nutriente p. 4. 16.

(*b*) L. c. P. II. p. 264. SWIETEN, l. c. p. 686. poſt mortem convulſionibus inductam, ventriculum caſeoſa materia diſtentum, pylorum plane obſtructum vidit.

tum ab acido, tum viſcido in univerſa demum humorum maſſa dominante, plenam inde ſaturiginem ſtatuit, quorſum etiam infarctus glandularum ſcrophuloſi ſpectant. Vermes, qui in infantibus recens natis, vel & praeter lac maternum nullo alio cibo uſis rariſſimi, plenis toties erumpunt ovariis, favente ventriculi debilitate, ipſaque hac ingeſtorum corruptela (*a*); dum puls praecipue diutius aëri relicta, muſcis aliiſque inſectis locum fecerit, cui copioſa committant ovula; perniciosiſſimum adeo infantis alimentum in pulte farinacea recte adpellat VANDERMONDE (*b*). Cuius noxas non niſi robuſtiores infantes, agreſti durioreque ſtamine nati effugiunt, ſentiunt plerique imbecilliores, & rarius, niſi ſummas inter difficultates, eluctantur. Verum, dum farinae haec tenacitas varia arte emendatur, fermentatione praegreſſa, quae paſtam nunc aqua ſolubilem reddit, atque ſuccedente debita coctione in panem paratur, meliora certe ex pane ſimilagineo cum lacte, vel iuſculo carneo dilutiore in pultem cocto alimenta ſunt; farinam prius leniter toſtam ſuadet

(*a*) DESESSARZ, l. c. p. 271.
(*b*) Comm. de reb. in ſc. nat. & med. geſt. Vol. VI. p. 454.

BALLEXSERDE (*a*); qua pariter opera tenacitas glutinosa frangitur, aërque (*b*) latens expellitur, qui in ventriculo, recuperato elatere summaque distensione nocet; quod idem in farina ex Malta parata refert SWIETEN (*c*), dum incepta & mox suffocata granorum vegetatione, lentor farinosus imminuitur.

Quae victus momenta eo curiosius attentiusque consideranda, quando humano lacte destitutus infans soli arti & matronarum consiliis, maiori periculo relinquitur: quibus ipse quidem inter paucos patrocinatur BROUZET (*d*). Eo in casu, uti a lacte naturalis maxime & potissima nutritio petitur, ita humano tenuitatis ac reliquorum principiorum ratione, lac asininum, vel equinum succedit, eique substitui potest: Elegantia SPIELMANNI eo in argumento experimenta sunt (*e*), queis primas ab humano lacte partes asinino, equino (*f*) defert, crassius omnino lac vaccinum, crassissi-

---

(*a*) L. c. p. 91.
(*b*) Qui forte eadem copia, ac in granis Maiis experimentis HALESII, ad quartam totius latet.
(*c*) T. IV. p. 687.
(*d*) L. c. P. I. cap. 5.
(*e*) De optimo recens nati alimento §. 17.
(*f*) BARBEIRAC const. medic. p. 246.

mum caprinum & ovillum invenit (*a*); quae lactis genera adeo a ſpiſſitudine ſua, quae maiores digerendi vires requirit, quo plures vehunt partes pingues & caſeoſas, eo deteriora, atque nutriendo debili infanti ineptiora exiſtunt. Sed tyranni uſus maior & hic vis ac poteſtas eſt, ut eum in ſcopum plerumque, quod omni tempore locoque praeſto eſt, vaccinum ſeligatur, quod coctum tepore dein animali praebeatur, licet eo in genere cenſura BOERHAAVIANA notatum, quae a partium fluidiorum tenuiorumque iactura coctionem non tam inutilem, quam nocivam declarat. Licet vero lac coagulari plerumque in ventriculo ipſo coctionis opere videatur (*b*), neque vero coagulum, niſi nimis craſſum durumque, ac maiori copia collectum, noceat, cui quippe ſolvendo proba bilis ſaponaceae reliquorumque influentium liquidorum virtus ſufficiat; conſtat facile, has tenuioris lactis minores, ſed craſ-

---

(*a*) Contrarius eſt BOERHAAVE, elem. chem. T. II. it. SWIETEN, T. IV. p. 679. lac vaccinum reliquis pinguius refert, quos refellit SPIELMANN, l. c. §. XVIII. ratione tenuitatis caprillum etiam bubulo praefert ZIMMERMANN l. c. P. II. p. 259.

(*b*) SWIETEN, l. c. p. 679. BROUZET, l. c. p. 113.

ſioris vaccini maiores omnino noxas eſſe ſupra pluribus dictas. In ea adeo craſſitie lactis emendanda varia opera eſt, dum vel addito theae infuſo (*a*), decocto tenuiore hordei, aut avenae, aliiſque pro varia foemellarum arte atque ingenio diluunt; ſed ſaepe adeo non emendant, ut vel promptiore aceſcentia lactis augeant coagula, vel crudiores ſimul partes viſcidaſque, debiliori ventriculo moleſtas, nutritioni ineptas ingerant. Queis artibus ſolum decoctum panis, minime aceſcentis, probe cocti, ſimilaginei praetulerim, cuius partes fermentatione optime attenuatae & ſolubiliores, nutritioni magis ſerviunt. Alii ad ſolvendas tenaciores caſeoſas particulas ſaponacea miſcent, uti ſacharum, vitellum ovorum, amygdalas dulces cum eodem lacte terunt: quorum ea quidem virtus viſa eſt, ut in experimentis minus caſei ſubſideret, praeſertim a tritis amygdalis (*b*), idque tenerrimum, molliſſimumque: qua ratione lac vaccinum ad uſus probos tum ratione pinguedinis

---

(*a*) Cautelam addit LOESECKE therap. ſpec. P. IV. p. 193. ne ſaturatius infuſum, a vi adſtringente, tenerrima lacteorum oſcula, glandularum tenuiſſima vaſa ſenſim obſtruat, atque atrophiae inde primam pandat originem.

(*b*) SPIELMANN, l. c. §. XIX.

adfuſa aqua, tum caſei ratione amygdalarum ope corrigi poſſit. Quod idem COSNERI (*a*) conſilium eſt. Eodem SWIETENIUS (*b*) pillulas ex bile bubula lento igne inſpiſſata, vitellum ovi, ac ſaponem venetum quotidiana ad grana aliquot doſi praeſcribit. Alii probo quidem conſilio tenerioribus infantibus ſolum ſerum lactis dulce adhibent, dum lac vaccinum recens emulctum cum ovis recentibus probe conquaſſatis miſcent agitantque, e quo coctione dein craſſiores lactis partes cum albumine ſubſident, ac ſerum relinquunt dulce, ſaponacea vitelli virtute imbutum, ad nutritionem, abſque coaguli metu debiliſſimo ventriculo optimum, quo & adultori infanti panis bis coctus, vel ſimilagineus, vel ex oryza in iuſcula ac panatellas gratiſſimas redigi poteſt. Has lactis vaccini noxas reſciſſurae aliae, quae a venerabili matronarum coetu ſibi ſapientiores videntur, lac omne reiiciunt, ſolis decoctis hordei, avenae excorticatae, dactylorum, aliorumque infantem ſuſtentant. Sed adparet, longe crudiora, viſcidioraque, a natura animali alieniſſima ingeri, queis coctionis vires plane impares ſunt; ut vel

(*a*) L. c. p. 240.
(*b*) L. c. p. 684.

obſtructione vaſorum ſenſim magis invaleſcente; vel ſumma virium nervoſarum proſtratione nutritio fatiſcat omnis, atque abdomine prominente, reliquae partes corporis emacientur; ubi diarrhoea plerumque comitans aquoſa, pituitoſa, cum lenta febricula, cum atroci ſaepe tormine, atque convulſionibus necat; neque in his ſectione cadaveris obſtructiones glandularum viſcerumque ſcrophuloſae ſemper adparent, teſtante ROEDERER (*a*), ſed a ſola partium ſolidarum debilitate, ſuccorumque vitalium exhauſtione, phthiſin nervoſam ſiſtunt. Uti & SYDENHAM (*b*) tumores abdominis infantum ab evacuationibus nimiis ſaepe ortos adnotat.

§. XIV.

Alia diaetae infantilis momenta huc pertinent: atque victus iuſculorumque e carne paratorum, quae acido praedominanti ſaepe opponuntur, ſuae cautelae ſunt; ut, cum gelatina praecipue animalis corporis, coctione extracta, imbuta ſint, ea pari quidem lege viribus coctionis reſpondeant; dum pro robore animalis

---

(*a*) De phthiſi infantum.
(*b*) Pag. 779.

duritieque partium, ex quibus extrahitur, tenaciores plane ac digeſtu difficiliores gelatinas continent, quae in gluten fatiſcunt, ſed ſpontanea degeneratione putreſcens; ſed & circulantium humorum maſſae immerſae gelatinoſae particulae licet animalibus viribus iam elaboratae, infantili corpori difficiliores ſaepe exiſtunt, quam ut vaſorum debili actione ſubigi, & in probam nutritionis materiem redigi poſſint; habitus inde corporis obeſior ac pituitoſus infanti naſcitur, cum maiori vaſorum onere, ac fibrae debilitate plerumque coniuncta: futuras capitis his molles manere, rachitidi, tuſſi convulſivae, aphthis, ſcrophulis obnoxios eſſe, adnotat QUALT. HARRIS (*a*); omnia maioris in his debilitatis argumenta, e tardiore plane vigore puerili, pedum in deambulatione uſu, dentitione aliiſque corporis evolutionibus tardioribus colligit LUDWIGIUS (*b*), ſucco nutritio tum minus perfecto, tum vaſa & cellulas potius diſtendente, quam ſolidorum fibris intimius adplicato. Sed & glutinoſa toties immeabilitate, atque acrimonia alcaleſcente ſanguinem imbuunt cum variis morboſis eventibus, cutaneis non

(*a*) L. c. p. 14.
(*b*) De celer. obeſ. p. 11.

tam foetidis exulcerationibus, quam viſcerum infarctu, unde per pulmones traiectu facili impedito, peripneumoniae nothae genera ac catarrhos ſuffocativos creat: ita per vaſa exhalantia viſcerum tranſpreſſa viſa eſt gelatina, ut ſectione cadaveris omnia inter ſe viſcera coalita obſervarentur a BUCHWALDO (*a*), quod carnium abuſui tribuit. Sed tenuiorum iuſculorum, e carnibus tenerioribus paratorum, ſummus ille in debili corpore uſus eſt, ut & minori digeſtionis opera indigeat, & probam nutritionis materiam ſuppeditet; dum acre interpoſito victu aceſcente temperamus; qua cautela & tenerioribus infantibus abſque noxa aliquando conceſſum hunc victum adnotat SWIETENIUS (*b*). Tempus, quo adultioribus aliquid carnis concedi poſſit, ab eruptione dentium molarium determinat BALLEXSERDE (*c*). Noxas praematurioris carnium uſus, tum a cruditate putrida, tum vermium progenie obſervat HARRISIUS (*d*); quae in carne aſſata, vel aroma-

(*a*) Obſ. Vol. VI. pract. HALLERI, p. 784. ad concretionem pericardii cum corde diſpoſuiſſe, credit MEKEL. conf. comm. de reb. in ſc. n. & m. geſt. Vol. VI. p. 631.
(*b*) L. c. p. 687.
(*c*) L. c. p. 93.
(*d*) L. c. p. 8.

tibus condita praecipua incommoda iunt, atque inter cibos, teterrimum merito nimis pinguem vocat V. HALLER (*a*), qui & difficillime tardiſſimeque e ventriculo expellatur (*b*), & ſpontanea corruptela in rancidum abeat. Simplici vero coctione, uti gelatinoſo principio exuitur, ita minus in putredinem prona, optime infantis uſui cedit, illa ſollicite ubique ſervata cautela, ne nimio uſu alcaleſcens in liquidis invaleſcat acrimonia, peſſimorum in morbis eventuum cauſſa (*c*). Eodem de ovis, eorumque vitellis cautela eſt, quae cibis potibuſque mixta eorum ſpiſſitudinem augent; licet vitellus copioſas partes in naturam animalem verſas contineat, atque ſaponaceae indolis adparentibus coloſtri acidi indiciis convenire poſſit (*d*). Verum & uti a nimio victu plerique infantum morbi pendet (*e*), quo ſuas in proles amore inſanire toties mater

---

(*a*) Elem. T. VI. p. 211.
(*b*) Idem l. c. p. 324.
(*c*) Variolas, quae inter morbos huic aetati congruos pertinent, toties infantibus carne praematurius paſtis accidere maligniſſimas, cel. viri obſervant DETHARDING de facie a variolis praeſerv. Vol. V. HALL. pr. p. 638. ROEDERER, de morb. variol. p. 39. KIRCKPATRIK, de inocul. ed. Germ. p. 39. aliique plurimi.
(*d*) V. SWIETEN, l. c. p. 684.
(*e*) TISSOT avis au peuple §. 346.

videtur; ita & alimenti quantitas infanti congrua attendenda eſt. Quae quidem pro creſcentibus eius viribus augenda, ſed & pro maiori debilitate imminuenda eſt, ut prima aetate non niſi lac conveniat; ac licet nulla eo in argumento generalis ſat certa regula locum habeat, id monendum, ne ad quoſvis infantis clamores, ſed eo vere eſuriente & naturali inſtinctu adpetente, quod ex vacuis neque tenſis hypochondriis colligere licet, ad cibos recurramus. Quod uti monitum maxime aetatem teneriorem ſpectat; ita creſcentibus viribus, dum pedum atque exercitationum uſu ſponte valet paullo adultior, corpore legibus hactenus dictis ſat firmato, negligendum ipſi cupimus. Huic alimenti genera non niſi tenuiora mollioraque, ac victus nimis iurulentus adeo non ſalubria exiſtunt, ut relaxata ſolidorum compage, hacque ingenerata ventriculi inteſtinorumque mollitie, ad ſolidiora digerenda ineptitudinem, atque totius corporis teneritate contracta, ad quoſvis morbos, ex variis rerum non naturalium mutationibus, ſummam inducant proclivitatem. Ventriculi enim ac cuiuſvis muſculi, par illa ſpectanda conditio eſt, qui uſu ac labore roboratur, quiete infirmatur, ut pene atoniam incidat. Victum adeo nimis iurulentum mollio-

remque,

remque, victum item nimis simplicem, eundemque semper damnat BALLEXSERDE (*a*), cuius male digestae reliquiae acre uniforme, vel acidum, vel alcalescens, demum in humorum massa praedominans diffundunt, quin alterius cibi reliquiis mixtis aut emendari, aut novo motus peristaltici stimulo eliminari queat. Adeo, dum hactenus tenerioris corpusculi nutritioni praecipue prospeximus, sensim maius robur, firmiorque corporis habitus conciliandus est, quod & cibos aliquando duriores, nec salitis carnibus, brassica condita, ac leguminibus exceptis, expostulat, ea lege, ut iis per gradus adsuescat proles; neque vero ad satietatem oneretur: firmantur sic increscuntque vires coctionis, ut absque noxa, crudis durioribusque vesci videamus incolumes, atque digestionis etiam vitia ac voracitatis effectus propriis corrigere viribus.

Eadem de potu momenta valent; quem etsi primitus sub caloris animalis gradu natura destinasse videatur, atque frigidi potus praesertim nocturni, in infantibus variae noxae esse soleant, quas in chylo inspissando, indeque

(*a*) L. c. p. 125.

glandularum meſentericarum obſtructione, natoque fluxu coeliaco, adnotat *hiſtoria morb. Vratislauv* (*a*). Corpori tamen paullo vegetiori varia ab ea matrum indulgentia ac ſollicitudine incommoda ſunt, queis ſub potu perpetuo calido ac infuſis theiformibus, univerſae ſolidae compagis prima ex utero flacciditas ſuſtentatur, qua nihil ad morbos ſuſcipiendos opportunius; ut vegetiori adeo infanti potus frigidus atque aquae inprimis purae ſaluberrimus ſit; liquoreſque fermentatos, uti vinum ac cereviſiam, licet ab infantili diaeta excludat KRUGER (*b*), item HARRISIUS (*c*); atque evoluto inde ſub debili digeſtione acido noxas offium praeſertim, perfectius nutriendorum, metuat LUDWIGIUS (*d*); aut ne pars alcoholica tenerrima molliſſimaque cerebri vaſcula facile deſtruat (*e*): id potius de abuſu intelligimus; dum a virtute roborante leniter adſtringente, quae fibris laxioribus inprimis, atque ad praecavendam nimiam muci generationem convenit, vini aliquis uſus eſſe

---

(*a*) P. 340. STORCK, *von Kindern Kranckheit* P. III. p. 204.
(*b*) l. c. p. 79.
(*c*) L. c. p. 8.
(*d*) Praefat. ad NESBIT oſteog. p. VIII.
(*e*) DESESSARZ, l. c. p. 325.

merito poteſt (*a*); quem & ad impediendam vermium geneſin, huic aetati familiarem, commendant (*b*). Sed & ea in re abuſum damnamus, quo praematuro fibrarum robore inducto, incrementum corporis impeditur, quod ſolidorum flexilitate ad vires cordis fundatur; id quod praematuriore ſpirituoſorum ingurgitatione fit (*c*). Eodem roborandi ſcopo praecipue, dum crudiorum uſus in infante adultiore concceditur, modicum potus Coffeae uſum haud damnare licet (*d*), in quo quidem arbitram ſe ſexus ſequioris gratia fiſtit. Sed in hoc de potu argumento in genere monendum, ab humorum ad ſolida ſuperpondio, cum partium omnium inſigni laxitate, ſemper minorem potus quantitatem permittendam eſſe: ſacchari ciborumque dulcium, queis ſuis blanditur infantibus matrum indulgentia, uſus huc pertinet: atque ſaccharum quidem, quod ſale acido blanda oleoſaque

(*a*) LUDERS, l. c. §. XVIII. BALLEXSERDE, l. c. p. 66.
(*b*) *Bremiſches Magazin* Vol. I. p. 67.
(*c*) BALLEXSERDE, l. c. p. 95. hunc a ſpiritu vini effectum adnotat ROSEN Vol. VI. pr. HALLERI, p. 734. MONRO, oſteol. p. 52. HALLER, elem. T. VI. p. 252. KRUGER, diaet. p. 44.
(*d*) LUDERS, l. c. §. XIX.

mucilagine obvoluto conſtat, atque a complu-ribus ob noxas, quas copioſam pituitam gene-rando, humoreſque incraſſando, vermium ge-neſi favendo credunt, male audit; ſed cum ſaponaceam indolem, tum principiis ſuis, tum variis phaenomenis experimentiſque referat (*a*), dicta incommoda adeo non metuimus, ut potius pituitam ſolvendo, liquida attenuando prodeſſe poſſit; uti ſanguinem ſoluriorem inde reddi, experimentis SCHWENKII (*b*) conſtat: ver-mium pituitoſos deſtruit nidos exturbatque; hinc infantibus quidem pituitoſis pleriſque omnino utile; atque virtute ſaponacea feliciori ingeſto-rum digeſtioni ſervit, lacteiſque reſiſtit coagu-lis, ciborum tenacitatem attenuat, oleoſaque magis ſubigendo in ſumma digeſtionis commoda conſpirat, niſi abuſu peccetur, quo nimia tan-dem liquidorum ſolutione, fibrarumque ſolida-rum quadam demum relaxatione, ac maiori

---

(*a*) Olea, reſinaſque ſubigere, & aquae miſcibilia reddere, lacti mixtum, omnem eius in butyrum ſeceſſum, dum aquoſum principium cum oleoſo intimius iungit, prohibere notum eſt, teſtaturque NEUMANN, Chem. T. I. p. 1069. BOER-HAAVE, Chem. T. II. p. 159. ſaponem pu-riſſimum vocat, qui vim habeat, ſeſe permiſcendi cum omnibus humoribus viſcidis.

(*b*) Haematol. p. 189.

irritabilitate inducta nocet; hinc in adultis malo hypochondriaco favet (*a*); addendum, quod eadem virtute ſaponacea pinguedinis generationem liberalius ſumptum impediat, atque adeo maxime macilentis noceat, quod BOERHAAVIUS adſtruit (*b*); quod idem adgnoſcit Theophil. LOBB (*c*), noxas ab abuſu ſimiles addit, quales a potu aquae nimio, aut comeſtione nimia fructuum horraeorum notamus effectus relaxationis, maioris reſolutionis, fermentationis natae; id, quod maxime in hypochondriacis, hyſtericis, ſenſibiliore fibrae inteſtinalis ſyſtemate quovis notandum, quod, tum a ſtimulo, tum acidi magis evoluti iniuria magis laceſſitur. Bellariorum ac placentularum, quae a ſaccharo placent, potior haec noxa eſt, quae nimia copia adſumptae ventriculum gravant, atque in tenacem acidamque maſſam degenerant. Nodulorum, quos ex pane dulciario, vel pane maſticato & ſaccharo confectos, ori

(*a*) ZIMMERMANN, l. c. p. 281.
(*b*) Chem. T. II. p. 159. ſoloſque adeo ſcorbuticos, rachiticoſque excipit l. c. p. 139 ab attenuatione nimia humorum, quae debilitatem producit, & laxitatem nimiam.
(*c*) Exp. circa calc. podagr. p. 274.

infantum ingerunt, tum ab aëre, si negligentius habeantur, tum copiosiore aëre, quem sugendo deglutiunt, incommoda sunt, ut ex nimia ventriculi distensione nauseae ac vomitiones sequantur.

§. XV.

Sed somni quoque ac vigiliarum, motuumque regimen ad sanitatem infantum stabiliendam pertinet. Somnus eo largior ipso naturae consilio est, quo tenerior, utque a partu minus distat infans, uti recte in foetu fere perpetuus esse videtur ob animalitatem pene tunc nullam, ideasque nullas adhucdum per sensus illatas, ac summam cerebri mollitiem (*a*); ita utero egressus maxima ex parte dormit (*b*), somno tunc nutritioni optime prospiciente, absque quo nulla nutritio: decrescit somni ratio crescentibus viribus, corpore nutrito magis firmatoque (*c*). Unde adparet, largiores vigilias

---

(*a*) HALLER, not. ad praelect. BOERHAAVII, §. 599. not. V.

(*b*) V. SWIETEN, l. c. p. 659.

(*c*) A blandissimo tunc sanguine repetit HALLERUS, elem. T. II. p. 254. hincque minor in senibus.

infantis ſemper praeter naturales ac nocivas eſſe, a ſtimulo vel externo faſciarum ſtrictiorum, immundarum, aut cuiuſcunque rei pungentis, vel interno doloris a gravato ventriculo vel aliis cauſſis morboſis nati. Somno igitur nihil quidquam detrahendum eſſe, inter proba diaetae infantilis praecepta ponit TISSOT (*a*), dummodo in aëre ſat puro, neque nimiis ſub ſtragulis aut conclavis calore fiat, de quo poſtea dicendum. Situs ratione notandum, capite leniter elevato in ſomnum componi debere infantes, dum horizontali vel declivi etiam ſitu maior ſanguinis in molliſſimam adhucdum ac pene fluidam cerebri compagem vis, ac noxa eſt; id quod de infantibus motibus convulſivis obnoxiis praecipue adnotat LOWERUS (*b*). Monendum praeterea, ne adultiores pueri unquam cum ſenibus dormiant, qui blanda inde tranſpirabili materie refecti, puerum liquido ſubtiliſſimo, plantarum inſtar paraſyticarum, exhauriunt; uti probe BALLEXSERDE (*c*), item HUXHAM (*d*), aliique mo-

(*a*) Avis &c. §. 346. n. 3.
(*b*) De corde p. 169.
(*c*) L. c. p. 98.
(*d*) Op. P. I. p. 47.

nent. BOERHAAVE, certum eſt, inquit, vim ſani corporis poſſe tranſire in corpus effoetum, nam virgines, quae cum aniculis dormiunt, liquet conſumi, vetulas vero melius inde habere (*a*). Exemplum puellae nobilis adducit RAMAZINI (*b*), ex contubernio & conſuetudine aviae, tabidae redditae, quae nullis remediis ſaluti reſtitui potuit, niſi ab avia remotione & puellarum reſtituto conſortio: alia exempla adducit DESESSARZ, ipſius imo lateris, quo vetulae lecto accumbere ſolebat puella, male adfecti obſervationes adfert (*c*). GALENUS ipſe (*d*) ſeni conſulturus, puerum accumbere voluit, ut abdomen eius contegeret. Alia aliorum obſervata ſunt (*e*), quae magnum ea in re momentum ſtabiliunt. Motuum praeterea atque exercitationum uti ad roborandum corpus ſummus uſus eſt; ita & varia ratione pro infantis aetate ac viribus adplicatur; in

---

(*a*) Praelect. T. VI. p. 353.
(*b*) L. c. p. 13.
(*c*) L. c. p. 126.
(*d*) Meth. med. L. VII. c. 7.
(*e*) VERULAM. hiſt. vitae, & mort. p. 161. SWIETEN, exempla tabis feliciter curatae ex FORESTO, & CAPPIVACCIO refert, lacte humano non tam ex uberibus ducto, quam eodem cum nutricibus ſanis lecto decubitu. Conf. T. I. p. 30.

quo pariter genere multiplex error eſt: atque cunarum inprimis agitatio vulgari uſu invaluit, ad demulcendos moroſos infantes ſomnumque alliciendum; cuius motus ea quidem utilitas eſt, ut leni corporis concuſſione ad robur corpuſculi firmandum conferat: atque quadam aëris circumſtantis ventilatione, eum faciat pleniore ac profundiore pulmone hauriri; id quod ad dilatandos pulmones non tam, quam quaſſandos cogendoſque in extremis eorum arteriis varios ſuccos ſervit (*a*). Sed, ſi limites mollioris & aequabilis motus excedat, varias a concuſſione teneri corpuſculi noxas habet, tum ventriculum vehementius agitando, unde vomitus ingeſti lactis ſaepe grumoſi, cardialgia ab acri latente, orificio ventriculi ſuperiori vehementius adplicato, ipſius ingeſti lactis coagula ſequuntur (*b*), tum potiſſimum tenerrima cerebri nervorumque ſtamina concutiendo turbandoque, unde ſtupor quidam ac vertigo infantem ad ſomnum componens (*c*), ſed & vomitus, & convulſivi mo-

---

(*a*) PLATTNER, l. c. P. II. p. 144.
(*b*) V. SWIETEN, T. IV. p. 680. 681.
(*c*) BALLEXSERDE, l. c. p. 70. ſuporem potius, ac leviſſimam quandam apoplexiae ſpeciem, quam verum, & naturalem ſomnum, cunarum ope producti, vult DESESSARZ, l. c. p. 114

tus oriuntur; aut illa saltem mutatio tum in vasis, frequentiori hoc motu sanguinisque maiori nisu dilatatis, tum & ipsis cerebri staminibus relinquitur, ut in motus epilepticos promptiores existant, vel stupidi capitis superstit infirmitas (*a*); quae noxae praesertim brevi a partu evidentiores sunt, quo magis caput infantis maternas inter angustias passum ac debilitatum fuerit: adparetque, quam male continuo a pastu cunis commissus, agitetur infans; urgente item febre quantis noxis hac corporis motione, sanguinis motus magis acceleretur; aut in quovis convulsionum metu, morbo ipso epileptico, cum maioribus encephali turbis haec consueta cunarum agitatio celebratur (*b*). Alia motionum genera, quae teneris adhibent pusionibus, suas a teneriore corporis viscerumque fabrica, tum maxime ab ossium mollitie cartilaginosa ac imbecillitate, qua processus educunt adhuc cartilaginosos aut media cartilagine iunctos, cautelas habent.

Innumera hic mala ab improvida gestatione aut lusibus motibusque corporis nasci possunt: ...

(*a*) KRUGER, l. c. p. 72. nov. act. phys. med. T. I. p. 84.
(*b*) PLATTNER, l. c. p. 145.

atque a natura in primis adhuc cartilaginoſa proceſſus odontoidis ſecundae vertebrae colli illud monitum ſuggerit MONRO (*a*), ut dum e lecto eximitur, vel ulnis geſtatur infans, ſedulo capitis retrorſum prolapſus caveatur, qui abſque ingenti huius proceſſus iniuria fieri nequit, donec muſculorum creſcente robore hoc motus periculoſi genus prohibeatur. Alia a geſtatione in ulnis, vel ſedendo in ſellis, ad id aptatis, incommoda ſunt; dum corpore antrorſum nimis diuque inclinato, donec muſculi erectores ſuo robore valeant, par corporum vertebrarum dorſi lumborumque iniuria flagrat; qua magna parte adhucdum cartilaginea antrorſum maiori preſſione incumbunt, impeditaque nutritione, vaſorum compreſſione, gibboſitate ad vertebras dorſi ultimas lumborumque primas deformatur, quod adnotat propriaque obſervatione confirmat LUDWIGIUS (*b*). Idem improvida geſtatione in brachio ſemper eodem fieri poteſt; ut in oppoſitum latus cum mutata neceſſario coſtarum directione, ſpina declinet, atque nutritione preſſarum partium minori ac inaequali, earum deformitatem relinquat; in cervice femoris, lar-

(*a*) Oſteol. p. 272.
(*b*) Praefat. ad NESBIT oſteog. p. XIX.

giore epiphyſi inſtructa, eadem mala ſunt, quae arctiori preſſioni cedit in alienas figuras, ipſius imo epiphyſis abruptionem adnotat SWIETENIUS (*a*), ſi dum ulnis geſtatur infans, ſubito corpus retrorſum proiicit; iidem in aliis artubus effectus eſſe poſſunt, peſſima illa conſuetudine, qua puerorum corpora, manibus aut brachiis adprehenſis, in altum tollunt (*b*), unde in tenerioribus non ſola luxatio, ſed & periculoſior haec epiphyſis avulſio contingere poteſt. Similia aliorum luſuum mala ſunt, dum inter brachia ſua varie concutiunt moventque, atque dum ſtando in menſa puerum exercent, ſubito in pedes genuaque ruere permittunt; quod ſine offium, extremis ſuis cartilaginoſorum, ipſarumque coxarum iniuria fieri nequit; rotunda cartilaginoſa offium capitula cum mollioribus ſinubus articulatoriis complanari quaſi hoc alliſu, ac latiora fieri adnotat DESESSARZ (*c*), malo haud continuo, ſed ſerius ſaepe adparente. Aliorum maior infelicitas eſſe ſolet, dum infantem ulnis incumbentem in aërem quaſi proiicere celeriterque rurſus dimittere ſolent; quod

(*a*) T. I. p. 599.
(*b*) REICHEL, de epiphyſ. ab offium diaph. diductione §. VIII.
(*c*) L. c. p. 139.

ut abſque lapſus periculo faciant, manum ſiniſtram inferioris corporis parti adplicant, dextrae digitos pectori coſtiſque vehementer iniiciunt, ut thoracem comprimant, coſtaſque ſpurias intorqueant, unde graviſſimum infantis malum (*a*): quod ſectione cadaveris comprobat HUBERUS (*b*). A ſedendo illum effectum adnotat SWIETENIUS (*c*), quo infantes foemellae ab oſſe coccygis & ſacro nimis antrorſum preſſo, pelvis anguſtiam contrahunt, quae maturis demum nuptiſque ſummas partus moleſtias inferat: adeo ſumma artuum oſſiumque teneritudo ſummas hic curas in omni motuum genere exigit, ut pro aequabili oſſium nutrimento praecipue lectulis potius committendus, rariuſque ſedeat aut geſtetur infans, donec robore corporis invaluerit. Adultiorem ſtando atque ambulando exercet mater; in quo etiam genere cautelae & incommoda ſunt: dum imbecilliores, quales obeſiores prae reliquis eſſe ſolent (*d*), oſſium minus firmorum femoris, ab incumbente corporis pondere, vel oſſium coxa-

---

(*a*) LUDERS, l. c. §. XVI.
(*b*) Ex tranſact. phil. refert *Hamburg. Magaz.* Vol. IX. p. 641.
(*c*) L. c. T. I. p. 538.
(*d*) LUDWIG., de obeſ. cel. p. XI.

rum etiam, ac ſpinae dorſi pravitates adquirunt, atque in greſſu difficultates per totam deinceps vitam ſuperſtites. Membranarum namque ac cartilaginem imbecillitate fit, ut, licet haud excidat epiphyſis, illa paullulum in aliquam partem promineat (*a*) cum membri diſtorſione; unde vel incurvata artus figura cum vari valgique ſpecie (*b*), vel ipſa femoris cervix paullo magis adhuc obſequioſa, in angulum maiorem ac rectum fere pondere corporis deprimitur, ut maiori diſtantia femorum greſſus non niſi maiore trunci inclinatione fieri poſſit, ſeu axis trunci maiori intervallo transferri a dextris ad ſiniſtras & viciſſim, anatum more, debeat, qua ratione de SAUVAGES utitur (*c*), ne centrum gravitatis corporis ultra baſim cadat: quae phaenomena utplurimum incipienti rachitidi adſcribi ſolent, praematuriori huic atque incauto matrum ſtudio debita. Stationis diuturnae in pueris noxas eadem ratione declarat HEUERMANN (*d*), quod totius corporis preſſio in pelvis illam partem, quae acetabula pro femoris articulo continet, nitatur, ſed quae

(*a*) PLATTNER, l. c. P. I. p. 189.
(*b*) RUYSCH, adv. anat. dec. II. p. 16.
(*c*) Noſol. T. III. p. 67.
(*d*) L. c. T. III. p. 175.

imperfecta adhuc, tribus offibus in acetabulo ipſo concurrentibus atque cartilagine unitis, continuo ſenſim cedit niſui cum figurae naturalis depravatione, unde claudicatio relinquitur; quod ſaepe fit, dum curriculis illis ſtantes inclaſi, dimidium toties diem agunt. Similes in offibus tenerioribus pectoris ſcapularumque noxae a loris ſunt, queis pectore ſcapuliſque cincti ſuſpenſique, ingredi coguntur: qua preſſione ſcapulis ſurſum tractis, capite antrorſum dimiſſo atque ad pectus depreſſo, offa pectoris certe aequabili nutrimento deſtituuntur (*a*). Creſcentibus demum viribus proprio niſu ad motus greſſuſque inſtigatur infans, facili tunc labore iuvandus atque a lapſu cavendus, qui variis partibus ipſique toties capiti noxas, vel offium fracturis aut fiſſuris, aut ſola etiam tenerrimi encephali commotione infert (*b*); quae mala pileolo craſſiori, capiti impoſito, ſat bene caventur vel mitigantur ſaltem. Sed alia luſuum genera periculoſiora exiſtunt: ſunt, qui animo

(*a*) LUDWIG., l. c. p. XXI. DESESSARZ, l. c. p. 458.

(*b*) Noxas in offibus ſincipitis maximas, a ſubtus decurrentibus arteriis adnotat BERTIN, apud VANDERMONDE, l. c. P. V. art. VII. ubi ab effuſo ſanguine mors demum, etiam abſque ſignis antea comparentibus, ſerius acceſſit.

ludendi caput infantis ambabus manibus arreptum & in aërem elevatum tenent, qua ratione vertebrarum articuli, elongatis ligamentis, facili accedente motu corporis dislocari ac distorqueri possunt, vel cum repentina etiam morte, vel colli obstipi pravitate relicta.

§. XVI.

Vestitus etiam infantilis considerationem nostram meretur, in quo prima pariter ab ortu matrum cura versatur; ut in eo diutius ante partum magnis saepe impensis laborent, magnaque sollicitudine concurrat avia, & cognatarum studia conspirent, queis inter adplausus novum hospitem excipiant; fasciarum & linteaminum magnus vastusque adornatur adparatus, queis advenae brachia, queis umbilicum totumque abdomen, queis pedes, queis caput, queis praeter haec totum demum corpus stringant devinciantque: vel hostem crederes, quem nunc devictum inermem, captivum gratulentur, vel honoris pignus, quod aut facile aufugiturum aut avolaturum metuant; ad quod certius securiusque possidendum ea concurrerent officia, atque compedes, vincula, ligamina necterent. En! quam saevis vinculis liget amor! quam durum amabilis

bilis ſexus imperium, quod ſibi vindicat, dum reſecto funiculo, naturae legibus ſolutus videtur infans; qui imperante ſola natura in utero materno, liquido immerſus tepido molliſſimoque, membra omnia omneſque articulos movebat quam liberrime, artubus caeterum omnibus, collo, manibus, cruribuſque, toto corpore leviter molliterque inflexis quieſcebat: quod naturae conſilium, artuum corporiſque diſpoſitionem in omni, dum quieſcit, animalium genere videmus; nunc, cum alterius, quam naturae, legibus parendum, exporrectis ſollicite artubus omnibus legatiſque membris, ſtipitis inſtar diſponitur, atque, ne ulla motus facultas ſit, ſtragulis includitur obruiturque: atque, dum has ſuas miſerias inquietudine & ploratu prodit, nonniſi cibo potuque ſuccurrit mater, omnia ſiti famique tribuens, aut & medicamentorum & enematum adparatus proſtat, qui has vinculorum iniurias ſiniſtra plane arte ſoletur. Licet vero non negandum, tenellum recens nati corpus, oſſaque cerea ſuis indigere curis, atque a ligamentorum, quis articuli continentur, debilitate, molliore oſſium in adpendicibus ſuis commiſſura, faſciarum adminiculo coercenda ſuſtinendaque eſſe, ne motu membri facile aberrante, corporiſque ſaepius in latus quoddam

inclinatione atque obliquo procubitu, facile diſtorſiones, membrorum deformitates, incrementi varia naſcantur vitia, neve rudior attactus cereas epiphyſes diducat aut infirmet; quod ipſa in ſpina dorſi pluribus adhuc proceſſibus, maxima parte cartilaginoſis inſtructa, facile fit: quae plura quidem a congrua faſciatione commoda ſunt (*a*), noxaſque ab ea praematurius omiſſa refert THEBESIUS (*b*): ſed forte plura maioraque a nimio hoc ſtudio ſtrictionibuſque faſciis ac vinculis a tanta naturae vi illata, incommoda ſunt: arctiore certe conſtrictione vaſa cutis compreſſa circulationis impedimenta ferunt, liquidiſque ad ſuperiora vergentibus, vaſa encephali liberiora copioſiore ſanguine diſtenduntur debilitanturque, ut vel inde convulſionum metum faciant (*c*), vel alias capitis aut ex dentitione adfectiones exacerbent. Totius cutis inde inflammationem eryſipelaceam vaſorum quadam ſuffocatione obſervavit PLATTNERUS loc. cit. Urinam ſaepe copioſam, nares perpetuo muco fluentes, parotides, glandulaſque

(*a*) Conf. PLATTNER, l. c. P. I. p. 102. 103. SWIETEN, l. c. p. 665.
(*b*) Nov. act. N. C. T. I. obſ. XVI.
(*c*) Convulſiones ſolutis vinculis continuo miteſcere, ceſſare ſaepe, vidit DESESSARS, l. c. p. 99.

maxillares intumeſcentes, ſcabiei genus, caput copioſius obſidens, ea ex ratione impeditae per vaſa cutanea circulationis, ſuppreſſae tranſpirationis, atque liquidi in alias partes determinati, repetit DESESSARZ (*a*). Alia in pectore mala flagrant, tum a congeſto huc ſanguine, reſpiratione facile impedita, atque ipſarum coſtarum tenerrimarum ab adſtrictis utrinque brachiis preſſione, quam thoracis deformitas aliquando ſequitur (*b*). Atrophiam phthiſinque Anglorum a pectore ipſis nimium conſtricto derivat SPIGELIUS (*c*); atque a thoracis amplitudine dum multum pulmonum libertas integraque actio pendet, indeque corporis totius robur ſanitaſque aeſtimatur (*d*), iniuria certe ingens ab impedita huius dilatatione debita, atque incremento prohibito facile liquet (*e*). Aſthma inde per totam vitam relinqui

(*a*) L. c. p. 93. 94.
(*b*) LOESECKE, l. c. P. IV. p. 185.
(*c*) De hum. corp. fabr. L. I. c. IX.
(*d*) BOERHAAVE, Inſt. §. 885.
(*e*) Turcas, quibus ignotus hic faſciandi modus, ſcapularum latitudine, amplitudine pectoris eminere, atque a graecis diſtingui, quos faſciae infantiles pectore anguſtos, ſcapulis minus latis, lacertoſiſque reddidiſſent, refert BALLEXSERDE l. c. p. 118.

adnotat DESESSARZ (*a*). Viſcerum abdominalium ab hac compreſſione incommoda vomiturition ibus ſe produnt, dum hepar in infantibus maius contra ventriculum preſſum, cum coarctat neceſſario, natiſque contractionibus ſpaſticis exagitat (*b*). Atque ventriculus, dum plenus curvaturam maiorem antrorſum dirigit, hac compreſſione impeditur; ut preſſio haec potius in ſubiectam aortam, venamque cavam terminetur, cum magno ac periculoſo circulationis impedimento. Atque eum imo deteſtabilis artis effectum vidit IUCHIUS, ut in cadavere viſcera abdominis inter ſe concreta omnia, glandulas meſenterii induratas ulceroſaſque invenerit, quae arctiori huic, & diuturniori adſtrictioni adſcribere non dubitat (*c*). Capitis demum, quae a conſtrictione per vittas aliaque ligamenta, vel & in adultioribus a pileolo arctiore noxae ſint, haud difficulter intelligimus, a cerebri ipſius compreſſione, aut incremento debito prohibito, futurarum ab oſſibus ad ſe compreſſis citiore coalitu (*d*). Et quid demum robori corporis conciliando adverſum

---

(*a*) L. c. p. 96.
(*b*) BALLEXSERDE l. c. p. 48.
(*c*) De usu, abuſu involutionis, & faſc. infantum.
(*d*) Conf. SWIETEN l. c. p. 666.

magis? dum quiete ac compreſſione muſculorum omnium, vigor deiicitur magis, ac inertia inducitur, uti muſculos auriculae conſtrictio & inertia immobiles rigidoſque reddit (*a*). Inde haud dubie in iis, quos minor matris cura adſtringit, praeſtantior vigor in muſculis omnibus eſt, ut pedibus circa finem primi anni firmi inſiſtant. Quid nutritioni atque incremento corporis magis infenſum, quae vaſa aequabili humorum circuitu, ac impulſu vitali dilatanda atque explicanda eſſent, hiſce anguſtantur ſtricturis, oſſaque ipſa viribus vitalibus per vaſa agentibus, cedere in maius ſenſim incrementum roburque prohibentur, ut vel varias inde pravitates ac diſtorſiones, queis maxime eo adminiculo cavendis amoris toties ineptientis conatus ſtudet, contrahant; dum, vel haec inter vincula, artus maiori nixu movet inquietus infans: (*b*) vel muſculorum antagoniſtarum deiecto aequilibrio, oſſa flexilia inaequaliter trahuntur, vel vaſis aliis compreſſis, in alia copioſior exundat humor, atque inaequalem reddit nutritionem (*c*). Fibulae curvaturam certe a faſciarum modo

(*a*) BROUZET l. c. p. 76.
(*b*) Ab eo conatu, oſſium & articulorum mala repetit DESESSARZ l. c. p. 98.
(*c*) DESESSARZ l. c. p. 96.

repetit WINSLOW (*a*). Gibbos inde reddi, HILDANUS ſuis comprobat obſervationibus (*b*). Graviter in hos errores invehitur RUYSCHIUS (*c*), atque ad univerſae Aſiae, Americae, Africae mores & exempla, Europae delicatioris ſapientioriſque ineptias perſtringit: ubi recens nati laxis involuti pannis, ſolius naturae ſapientiae dantur, atque optime inde corpora creſcunt: quod idem teſtatur FURSTENAU (*d*), complures alii. A laxitate faſciarum adeo nunquam aliquid metuendum, uti probe SWIETENIUS (*e*), quique niſi manifeſte perciperet, omnes artus lidere flecti poſſe, totum adparatum removendum iuſſit illico, quantumvis obmurmurarent mulierculae, non conſilio, ſed auctoritate compeſcendae; id in laxioribus faſciis adnotandum, eas, ſi lotio, ſudore, faecibus maduerint, ſemper magis adſtringi paribus cum infantum noxis, quas inquietudine teſtan-

---

(*a*) Expoſition. Anat. T. I. §. 780. DESESSARZ p. 97. quorſum mala illa conſuetudo pertinet, pedes ita diſponendi ut digiti extrorſum, calces introrſum ſpectent, qui ſtus omnino praeternaturalis BROUZET l. c. p. 80.

(*b*) Cent. II. Obſ. 99.

(*c*) L. c. Dec. II. p. 40.

(*d*) De Med. Ind. Vol. VI. HALLERI pr. p. 768. 774.

(*e*) L. c. p. 665.

tur, dum linum omne, ex quo pannus contextus eſt, aqua bibita breviatur (*a*).

Verum cum creſcente infantis aetate atque adoleſcente etiam, creſcit amoris durities, quae pulchritudini corporis, cui maxime ſtudet, conſervandae conciliandaeque, artificiales thoraces ac loricas parat, queis & pectus, & abdomen coerceatur; atque his quidem, ſi probe conſtructi, nec valde rigidi, nec nimis adſtricti fuerint, ſua commoda ſunt, queis infantum pectora, oſſiumque, ex quibus truncus componitur, compages tenerior contra externas iniurias muniatur optime firmeturque, atque imbecillior dorſi ſpina, adhuc cartilaginoſa, naturali directione ſuſtineatur, ut abſque diſtorſionis periculo, e lectulis ſedere, vel ulnis geſtari, ac ludentibus matronarum gratiis vacare poſſit. Sed ea fere huius amoris rabies eſt, ut eo ipſo, formae ac proceritatis ſtudio, rigidiores & velint loricas, & arctius conſtringant; quo fere nihil perniciosius, atque ſanitati & pulchritudini demum magis adverſum. Eorum certe inſaniam, qui in definiendo pulchri corporis habitu, legislatores ſe gerunt, atque eum quidem in craſſitie

(*a*) PLATTNER l. c.

corporis ſuperius aucta, ac comice verſus ima abdominis decreſcente, ut utraque palma comprehendi poſſit, guſtu male ſano determinant, Natura ipſa refellit, quae pectus ſuperius anguſtius, inferne latius, abdomenque dilatabile certos in uſus oeconomiae vitalis, haud impune turbandos dedit. Compreſſione hac, quae totam faciat ſpinam, muſculi dorſi, pectoriſque diuturna quiete inertes, fere paralytici fiunt, ut ſuſtinendo corpori depoſita lorica, impares, antrorſum corpus inclinare faciant, ac gibbum referant (*a*); quem correctura, mater arctiore vinculo, ſed maioribus indies malis, utitur (*b*). Sed & in ipſis oſſibus ea vis eſt, ut motu ac flexione prohibita, debitam, per elaſticam cartilaginem nuclei oſſeſcentis extenſionem impediat (*c*): maxima certe in mollioribus oſſibus, horum epiphyſibus, cartilaginibus, ligamentis haec vis eſt, ut coſtis ad vertebrarum corpora tranſverſoſque proceſſus, quibus committuntur, adpreſſis, proceſſibus ſpinoſis, qui poſt partum demum e vertebrarum poſteriore parte exſur-

(*a*) V. SWIETEN T. III. p. 354. DESESSARZ l. c. vitium muſculi ſacro lumbaris huc potiſſimum refert.
(*b*) KRUGER l. c. p. 43.
(*c*) LUDWIG. praef. ad NESBIT p. 19.

gunt, coërcitis repreſſiſque, epiphyſibus facile expulſis diductiſque, cartilagine, quae vertebrarum ſinus, coſtarumque capitula largior inveſtit (*a*), deformata, varia conformationis vitia naſcantur; dum vertebrae exterius preſſae verſus interiora aliamque partem intumeſcunt; ſternum, magna parte cartilagineum, coſtarum preſſu verſus anteriora erigitur, ſic ut ſuperior pars, magis a coſtis ſuperioribus firmata, altior, inferior minus reſiſtens, depreſſior fiat, uti obſervat DESESSARZ (*b*). Contorquentur coſtae, atque a naturali directione deflectunt, ac figuram pectoris foeminei a natura plerumque alienam conciliant. Cartilago mucronata reprimitur; ab ilibus ad alas ſurgente thorace, eadem & cartilaginibus ligamentiſque quae oſſa innominata, & ſacrum devinciunt, preſſio ac vis infertur, ut ea a laxatis ligamentis cartilaginibuſque mobilitate, vel claudicationis neceſſitas, vel crebra in aliquod latus inflexione, ſpinae deflexio, vel ſcapulae unius prae alia elatior ſitus inducatur (*c*). Haſque inter anguſtias com-

---

(*a*) Quae vitia ſectionibus cadaverum adnotat WINSLOW act. Ac. Reg. Sc. Conſ. *Hamb. Magaz.* Vol. III. p. 533.
(*b*) L. c. p. 402.
(*c*) PLATTNER l. c. p. 144.

preſſi pulmones ſuis in chylo, ſanguine aliiſque humoribus rite perficiendis, deſunt officiis, atque ipſa viſcerum abdominalium functione turbata, non niſi crudus per vaſa humor dimanat, neque nutritioni, nec incremento ſufficiens; ut ſumma cum imbecillitate, lurido genarum colore varios inter morbos, demum inſaniae muliebris victima ſuccumbat. Diſpoſitionem inde in phthiſin induci, pluribus momentis refert SWIETEN (*a*). Varia viſcerum abdominalium mala adnotat WINSLOW (*b*), MORGAGNE (*c*): vitia renum (*d*), ventriculi mala conformatio (*e*), hydrops faccatus (*f*), ſitus viſcerum abdominalium mutatus (*g*), caſameniorum vitia (*h*), viſcera abdominis coalita (*i*), aliaque copioſiſſima mala obſervata leguntur. Aliae veſtitus infantilis regulae ea maxime ratione fundantur, ne compreſſis alicubi vaſis, aut nutritio

---

(*a*) T. III. p. 10.
(*b*) L. c.
(*c*) De ſed. & cauſ. morb. ep. 38. n. 55.
(*d*) *Hamb. Magaz.* Vol. XX. p. 16.
(*e*) Nov. act. phyſ. med. T. I. p. 305.
(*f*) SLEVOGT. de infelici hydropis curatione Vol. IV. pr. HALLERI p. 303.
(*g*) LUDWIG. de cauſ. praeternat. viſc. ſit. p. 4.
(*h*) LUDWIG. inſt. clin. §. 404.
(*i*) STORCH. *Weib. Krankh.* P. VIII. p. 107.

aequabilis, atque partium incrementum, aut robur impediatur; veſtes omnes arctiores damnat BALLEXSERDE (*a*). Veſtitum circa collum & pectus nimis ſtrictum ad haemoptoen diſponere, adnotat LUDWIG. (*b*) collarium nimis arcta conſtrictione frequentem adfectuum capitis cauſſam ali, refert WINSLOW (*c*). In debilibus ab adſtrictis arctius veſtibus natae anxietates, vim ac reſiſtentiam cordi a plurimis compreſſis vaſis fieri docent (*d*), laxatis veſtibus levandae. Tibialium caligarumque ligacula cautiora, nec unquam ſtrictiora ſunto; ſed illa ſuper humeros diducta placent; calceorum illas regulas tradit BALLEXSERDE, l. c. ut nec arctiores, partium hic diſpoſitarum preſſione, nutritione, incremento ac robore privent, atque cum elegantiore pedis puſilli forma, quae ſexui ſequiori placet, a compreſſis calloſiſque partibus muſculoſis, motu oſſium tarſi & metatarſi, qui in infantia admodum ſenſibilis, ſaepe deſtructo (*e*), debilitatem illam inducant, qua

(*a*) L. c. p. 120. 123. noxas complures exponit GAUBIUS Path. §. 592.
(*b*) Inſt. clin. §. 336.
(*c*) Act. Ac. Reg. Sc. an. 1740. atque de eo argumento elegantia pertractantur apud UNZERUM, *der Arzt, eine Woehenſchrift*, P. IX. p. 174.
(*d*) SWIETEN T. II. p. 296.
(*e*) WINSLOW l. c. §. 888.

nec firmo ingredi talo, nec diu erecto corpore ſtare, nec iter aliquod pedibus conficere, abſque ſumma moleſtia queant. Sed &, qui in artificioſis figuris ſibi magis placet ſexus, calcem ſibi minorem a natura datam, alia ſubiecta artificiali eo maiori corrigit, quo altiore quaeque cothurno geſtire velit; qua ratione ſtatum oſſium tarſi naturalem plane mutant, atque eandem ibi perturbationem cauſantur, quae in vertebris gibboſorum obſervatur (*a*): tendine achyllis, muſculis poſterioribus extenſoribus nimis contractis, illis qui antrorſum flectendo pedi inſerviunt, elongatis, tum vaſis liberoque per ea liquidorum tranſitui impedimentum naſcitur, tum robur, atque elater imminuitur, qui in genere animalium ſalientium praecipuus (*b*). Alia veſtium momenta ad regimen caloris pertinent.

§. XVII.

Atque aëris quoque caloris frigoriſque regimen ad ſanitatem infantum tuendam firmandamque ſummas vires habet: caloris perpetui,

(*a*) Idem l. c.
(*b*) De eo arg. eleganter WINSLOW Memoires de l' Academie des Sciences, l' année 1740.

quocum plerumque aëris impuritas in cubiculis angustioribus, famulantium ac condormientium turba, lectorum copia, atque evitata sollicite aëris ventilatione, coniuncta est, is maxime effectus notari debet, quo perpetua corporis infirmitas, atque solidae fibrae laxitas alitur, vasa cutanea laxiora, aequabilem haud ferunt perspirationem, sed modo sudoribus diffluentia, acre quodvis ad peripheriam alliciunt perpetuo inde exanthemate squalidam (*a*): cui rite curando caloris regimen intendit mulieris error; modo minimis mutationibus aëris aegrius adficiuntur. Capitis tegmine nimis calido, atonia vasis excephali capitisque universi inducitur, quae humorum decubitum ad hanc partem derivat; inde frequentes lippitudines, tineae, phthiriases, scrophulae colli nascuntur. Pulmonum increscit debilitas atque humorum acrium colluviei frequentiori favet; dum necessario illo liberi puriqne aëris subsidio, quod ad naturalem sanguinis diatesin conciliandam requiritur, destituitur. Ea re certe nihil perniciosius infanti credit TISSOT (*b*), cui copiosae illae infantum mortes adscribi debeant: spirandi an-

(*a*) PLATTNER praef. cit. p. XVIII.
(*b*) Avis §. 341.

guſtias per totam ſaepe vitam reliquas, ab eo inter cortinas incluſo, impuriſſimo, foetidoque aëre, ſuo fere elatere exuto derivat BALLEXSERDE (*a*): cuius quantae in adultis noxae ſint, quam larga inde morborum peſtiferorum origo pateat, copioſis obſervatis conſtat, queis hic loci immorari ſuperfluum. Adeo a libero aëre non ſollicite nimis cuſtodiendos infantes eſſe, inter primarias regulas ſtatuitur ab omnibus, qui memorem Iunonis ob iram, artis praecepta non negligant; imo adultiores a frigido aëre haud arcendos eſſe, caput haud ſollicite tegendum, monet TISSOT l. c., item DESESSARZ (*b*). Pedibus nudis incedere iubet KRUGER (*c*); imo capillos abſcindendos, frigida pedes abluendos BALLEXSERDE (*d*), omniaque illa adminicula, queis corporis compages ſenſim roboretur magis, vaſorum viſcerumque vires in adſumptorum probam coctionem, liquidorum omnium naturales dotes, excretionum omnium ac maxime perſpirationis integritatem conſervandam increſcant. Adparetque quantum a probis diaetae legibus abſint le-

(*a*) L. c. p. 70.
(*b*) L. c. p. 351.
(*c*) Diaet. p. 45.
(*d*) L. c. p. 124.

ſtuli illi molliores calidioreſque, atque ab adſpirante ſalutari aura ſecluſi, veſtium denſiorum pellicearum genera, queis corpora puerorum muniunt, atque atmoſpherae perpetuo humidae effluviis animalibus, mora putridiſſimis, elateri aëris inimicis refertae includunt: unde cutis totiuſque corporis imbecillitas, ad leves aëris mutationes ferendas impar, vitaque perpetuo valetudinaria, fere ſine ſpe longaevitatis adquirendae adquiritur. Verum & aëris non tam, quam linteorum, lectulorum, veſtium puritas, munditieſque requiritur ad ſanitatem infantum conſervandam roborandamque (*a*), dum ſordes relictae variam cutis labem, adfectuſque cutaneos, atque ſolidae fibrae corporis laxitatem, liquidorum a reſorpto acri impuroque mutatam diatheſin, nutritionis vitia, ſecretionis cutaneae impedimenta inferunt; quem ipſius etiam naturae inſtinctum, quo animalia pleraque foetus ſuos lambendo ſollicite purgant, quam parvi toties negligentior nutrix aut mater habet, ut in mutanda artificioſa faſciarum ligatura operam ſibi haud ſatis frequentem ſumat.

(*a*) BALLEXSERDE l. c. p. 53. 54.

IO. GAUDELII

OFFENBACENSIS

DISSERTATIO

DE

HYDROCEPHALO

Goettingae 1793. (*)

§. I.

INter morbos, qui genus humanum diu saepe, & miserabiliter, licet, quod equidem gaudemus, paullo rarius adfligunt, iure suo sibi locum Hydrocephalon vindicat. Est id tumoris aquosi sine hydropis genus, quo aqua praeter naturam in capite colligitur, atque vel inter cutem

(*) Haec Dissertatio ad potiores de Hydrocephalo labores spectat, eamque, ne forte foliis tam paucis communi, periret, licet plura iam hoc, de morbo meliora habeamus, hic inserendam esse putavi.

cutem & pericranium consistit, vel inter pericranium & os, vel inter os & cerebri membranas, vel inter harum duplicaturas, vel inter has & cerebrum, vel inter huius plicas ac in ipsis ventriculis, seorsim vel coniunctim, quod posterius quidem frequentissimum (*a*) vel denique, quod rarissimum omnium & ab uno dumtaxat Viro, quod sciam, hactenus repertum, in praeternaturalibus saccis intra cerebri substantiam erumpit (*b*), totumque caput monstrose saepe immaniterque distendit, ita, ut duplo, triplo, & amplius naturalem magnitudinem excedat (*c*). Latius siquidem hodie huius mali limites distendendi sunt, ac quidem a veteribus Medicis ac Chirurgis factum, utpote qui cerebrum ipsum humore expleri ignorantes, omnem intus in encephalo collectam aquam calvariam inter & cerebri membranas tantum haerere existimarunt (*d*).

(*a*) PETIT in Mem. de l' Ac. des Sc. de Par. 1718. p. 80. WEPFER Obs. de affect. capit. 28. 29. 30. 31. SEVERIN. de abscess. p. 186.
(*b*) EUSEB. SGUARIO *in Raccolta d' Opuscoli scientif. e filolog. Vol.* 40. *p.* 230.
(*c*) DEKKERS Exercit. pract. p. 682. Misc. Nat. Cur. dec. 2. an. 4. HILDAN. observ. cent. IV. 10. BARTHOLIN. Cent. I. obs. anat. 28.
(*d*) PAUL. AEGINET. L. 6. c. 3.

§. II.

Ita vero in hydrocephalo effuſus humor aut ſupra, aut infra calvariam, occaſionem medentibus iam antiquis ſuppeditavit, ut duo eius genera ſumma conſtituerent, alterum externum, ubi cutis capitis aqua dumtaxat diſtenta; alterum vero internum, cum in ipſum caput aqua contrahitur (*a*). Unde neſcio plane, qui ETTMULLERO, celebri Medico Germano, excidere potuerit, ante VESALIUM non fuiſſe cognitum aut deſcriptum a Medicis hydrocephalum internum (*b*); cum tamen GALENUS (*c*) & iam citatus AEGINETA, aliique plures de eo tanquam malo bene cognito, neque tum novo, ſcripſerint, & plures etiam ante VESALIUM, ut ALBUCASIS & GUIL. DE SALIGETO, luculentiſſimam eius mentionem fecerint. Utrumque vero vel per ſe exiſtere conſuevit, vel cum altero combinatum eſt, ita tamen, ut obſervationum fide frequentius multo externum ſine interno, quam hoc ſine illo conſpiciatur.

(*a*) AEGINET. l. c.
(*b*) Coll. pract. T. 2. L. 1. S. 21. c. 3. art. 3.
(*c*) In Finition. medic.

§. III.

Quandoquidem vero omne hydrocephalon a tumore capitis aquoſo determinamus; haud ſane difficile erit, id ipſum diſtinguere a cerebri hydrope, qui cum vel doctiſſimi Viri illud haud raro confuderunt (*a*). In hoc enim, licet magna vis etiam aquae intra encephalon effuſa, caput nullo modo tumet, ſed naturalem ſuam capacitatem retinet.

§. IV.

Sed de ſingulo hydrocephalo cum externo, tum interno, ſeorſim ut differamus, operae erit pretium. Igitur ut ab illo ordiamur, quod externum appellatur & a Veteribus hydrocephalon ſimpliciter dictum fuit, ipſius diſcrimina primum omnium notamus, notaſque eorundem diſcretivas; ſiquidem in ipſo modo tumoris aliquid eſt, quod ſpecies inter ſe diſtinguit.

(*a*) BORELL. obſerv. Cent. I. 38. HARDER. obſerv. med. pract. 33. PAISLEY in Medic. Eſſays of Edinb. T. III. obſ. 23.

Illud autem omnibus commune eſt, aquam vel totam capitis cutem ſubire (*a*), vel partem eius ſaltem, eamque inprimis ſuperiorem occupare (*b*), vel demum minutos plures ac diſiunctos tumores facere, id quod nobis in connubio hydrocephali interni ſemel fuit obſervatum. Sedes autem aquae inter cutem & calvariam effuſae vel in ipſo celluloſo cutis textu, vel calvariam inter & pericranium exiſtit: unde duae fiunt ſpecies hydrocephali externi. At prius quidem frequentius multo, quam alterum obſervatur; neque in poſteriore caſu tantopere caput ac in iſto intumeſcit, in quo tumor aliquando ad immanem magnitudinem increſcit, atque humor per cutim tanquam in vitro cornuque apparet (*c*). Quodſi humor cuti & membranae calvariam integenti interiacet, tumor ſequitur tactu mollis, indolens, concolor, in ſublime elevatus, digitiſque prementibus ille facile cedit & rurſus aſſurgit. Interdum etiam palpebrae tument, adeoque connivent, ut aperiri oculus non poſſit (*d*). Quibus autem pericranium & os intercedit humor, reliqua ſane

(*a*) CAR. PISO de morb. a ſeroſ. colluv. p. 41.
(*b*) FOREST. obſ. chir. III. 5.
(*c*) RUYSCH. theſ. anat. p. 23. tab. 3.
(*d*) PISO l. c. p. 41. obſ. 1.

respondent, caput vero non ita intumescit, tumorque multo est durior, atque pressus sicut uter repletus & arcte adstrictus renititur; dolor etiam magis urget ac ipso tactu alioquin exacerbatur, quid? quod de nocte ingravescit cum agrypnia (*a*). Atque ita facile hydrocephalum externum ab artificiali hydrocephalo, sive rectius emphysematoso capitis tumore, physocephalon hodie vocant, distingui potest, quem excitare pueris scelesti mendiculi aliquando solent, ut hydrocephalum mentiatur (*b*). Est enim id physocephalum tumor admodum elasticus atque tensus, qui digito pressus obstrepit ac crepitat.

§. V.

Puerorum quidem ac infantum affectus proprius est utrumque hydrocephalon, sed non sic, ut grandes aetate non quoque pertentet. Quamvis equidem hoc prorsus PLACENTINUS negavit (*c*); exempla tamen non desunt

(*a*) PISO l. c. p. 43.
(*b*) HILDAN. Cent. III. obs. 18.
(*c*) Chir. L. I. c. 1.

cum iuvenum (*a*) tum virorum (*b*), quibus vitium hoc accidit. Utrumque nonnunquam ex utero natales ſuos ducit, & plures menſes, quin annos ſaepe tenet. Exordium aeque ac incrementum plerumque lentum ac tardum eſt; rariſſime contra oritur repente, & intra paucos dies in monſtroſam magnitudinem erumpit (*c*). Perſaepe externum ab interno producitur, ſiquidem humor encephalum inundans facile vias per hiantes futuras aut praeternaturale oſtium in cranii particula ex oſſe (*d*) invenit, quo ſubire integumenta capitis poſſit; vel ex eadem cauſſa ille ſimul cum ſupra calvariam, tum ſubter ea morboſe colligitur. Tum vero humor non per totam capitis ſuperficiem diffundi ſolet, ſed plerumque in ſaccum quaſi aliquem colligitur, qui capiti adhaereſcens morbum conſtituit (*e*). Eiuſmodique ſaccus in mollibus oſſium commiſſuris, inque ea ſe praecipue attollit, quae inter occiput atque bregmata eſt, &

(*a*) PISO l. c. p. 41. Nov. Act. Ac. N. C. T. I. obſ. 3.
(*b*) SEVERIN. l. c. p. 283.
(*c*) ALBUCASIS Chir. L. 4. c. 1. Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 157. Nov. Act. N. C. l. c.
(*d*) WEPFER. obſerv. 23. p. 48. Act. Helvet. Vol. I. p. 1.
(*e*) MANGET. bibl. med. p. 872. WEPFER. obſ. 23.

ita increſcit, ut tandem a capite dependeat (*a*). Aliquoties adeo RUYSCHIUS talem tumorem in foetibus recens natis conſpexit a capite poſtice pendentem, qui ipſum caput magnitudine, quid? quod ſemel totum foetum ſuperaret (*b*).

§. VI.

Si ſubter calvaria humor coiit & hydrocephalum internum effecerit, tumor quidem eſt, ſed qui prementi non cedit, neque tactu mollis eſt, niſi admodum tenera oſſa fuerint, aut penitus defecerint. Viſa nempe eſt VESALIO puella, cui cranium non oſſeum, ſed totum membranoſum erat. Interim & violenter preſſus tumor nonnihil cedit, ſiquidem oſſa infantum facile adhuc cedunt; & humor, cum illum comprimere volumus, ex adverſo repreſſus in altum exſurgit. Calvaria autem ultra modum per omnem ſuam circumferentiam, perraro in alterutro ſaltem latere (*c*), unde ſingularis ſpecies hydrocephali dimidiati oritur, a ſubſiſtente

---

(*a*) WEPFER. l. c.
(*b*) Obſ. anat. chir. 52. p. 64. f. 45.
(*c*) TULP. obſ. L. 1. 25.

humore plus minus diſtenditur, indeque oſſa eam compingentia magis ampliantur, attenuantur, excavanturque, infimulque ſuturae vel omnes (*a*) vel aliquae ſaltem (*b*) magis a ſe invicem recedunt & hiatum faciunt, quem admoti digiti facile deprehendunt, quique interdum tam late patet, ut ultra unum, quin duos palmos oſſa inter ſe diſtent (*c*); interdumque adeo diaphanus eſt, ut aqua per eundem transluceat (*d*). In ipſo tumore ſaepe inaequalitas eſt, ſic, ut modo frons, modo ſinciput, modo occiput, vel tempora magis protuberent. Quod equidem uno omnes ore auctores adfirmant, in hydrocephalo interno hiatum ſuturarum nunquam deeſſe, illud non eſſe perpetuum, ex quorundam clarorum Virorum accuratis obſervationibus mihi liquet; ſiquidem integram calvariam in grandi hydrocephalo invenit HILDANUS (*e*); & RIEDLINUS confirmat in hydrocephalo 24. annorum, in quo non ſolum arcte clauſae ſuturae, ſed in quibuſdam locis

---

(*a*) PAUL. INGRASS. L. de tumorib. praeternat. p. 380.
(*b*) SMET. miſcell. p. 578.
(*c*) WEPFER. obſ. 29. p. 57.
(*d*) INGRASS. l. c.
(*e*) Obſ. Cent. III. 19.

illarum vix veſtigium quoddam adeo notari potuerit (*a*); denique ex noviſſima diſſertatione de hydrocephalo interno 45. annorum, praeſide Exc. SAM. AURIVILLIO in Academia Upſalienſi a. 1763. habita conſtat, totam calvariam, licet magnopere ac monſtroſe diſtentam, futuris ubique prorſus fuiſſe occluſam, eaſque hinc inde prorſus fuiſſe oblitteratas, multis officulis intermiſtis §. 3. Quapropter ſi Vir Ill. BOISSIER DE SAUVAGES *in Noſologia methodica* ſcribit, hydrocephalum internum ex hiatu futurarum cognoſci (*b*), id ſignum nonnunquam, licet, quod fatemur, rariſſime fallere poſſe, ex modo dictis ſatis ſuperque apparet. Oſſa autem ipſa ut plerumque ex diſtentione, quam patiuntur, magnopere & excavantur & extenuantur, ſic, ut aliquando etiam pellucent & per haec ipſum cerebrum & ſinus durae matris conſpici queant (*c*); ita viciſſim quoque, quod mireris, docente rerum uſu, ea nonnunquam, licet rarius, magnitudinem ſuam naturalem in tanta diſtentione non ſolum retinent, ſed etiam duplo craſſiora fiunt (*d*).

(*a*) Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 29.
(*b*) T. III. P. II. Cl. IV. ord. 3. p. 325.
(*c*) Hiſt. de l'hydrocephale DE BEGLE, par Mr. BETBEDER Bourd. 1755.
(*d*) Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 29.

§. VII.

Quod multo crebrius aquae in ipſos cerebri ventriculos confluere ſoleant, quam in alias eius ſedes, ſupra iam mihi fuit memoratum: hoc loco igitur adhuc obſervo, ventriculos dictos inde magnopere ſaepe ampliari, ita v. c. ut duos pugnos quilibet admittat (*a*). Inde vero ipſum cerebrum etiam valde comprimitur, diſtenditur (*b*), atque liquatur, ita, ut aliquando una cum ipſa calva pelluceat (*c*) & quaſi diffluat (*d*) ac emiſſa aqua tantopere ſubſidat, ut vix duodecimam partem calvariae nunc repleat, imo prorſus deeſſe videatur (*e*). Rarius multo cerebrum in ſua compreſſione durum eſt, quod autem tum maxime incidit, ſi aquae ſupra cerebrum effuſae (*f*). Aqua ipſa autem collecta vel pellucida eſt (*g*), vel foetida, vel cruen-

---

(*a*) Eph. N. C. l. c.
(*b*) L. c.
(*c*) HILDAN. Cent. III. obſ. 17. BETBEDER l. c.
(*d*) AURIVILL. diſſ. cit.
(*e*) TULP. I. 24. WEPFER. obſ. 27. p. 53. HARDER. obſ. 33. p. 149.
(*f*) KALTSCHMIED Pr. de hydroceph. interno rarae magnitud. Ien. 1752.
(*g*) HILDAN. l. c.

ta (*a*) & ad plures libras, quatuor (*b*) quinque (*c*) octo (*d*) decem (*e*) octodecim (*f*) imo viginti quatuor (*g*) ascendit. Cerebellum in plerisque casibus integrum est.

§. VIII.

Ceterum si in caput aqua contrahitur, frons inprimis extuberat (*h*) aut caput fastigiatum est (*i*), oculi torvi sunt ac eminentes (*k*) aut contra retracti & prorsus obtecti (*l*), crebro etiam illacrymant (*m*). Interdum unus oculus magis, quam alter est depressus (*n*). Nutritio in plerisque valde tardatur, ut licet adultam aetatem iam consecuti aegri, infantum tamen staturam praeseferant (*o*), aut saltem

---

(*a*) WEPFER. l. c.
(*b*) SGUARIO l. c.
(*c*) TULP. I. 24.
(*d*) Eph. N. C. dec. 3. a. 1.
(*e*) Phil. Trans. n. 407.
(*f*) HILD. l. c.
(*g*) Id. I. 5.
(*h*) BARTHOL. l. c.
(*i*) SEVERIN. l. c.
(*k*) WEPF. obs. 24. Essays of Edinb. III. 22.
(*l*) WEPF. obs. 27.
(*m*) AEGIN. l. c.
(*n*) WEPFER. obs. 30.
(*o*) AURIVILL. diss. cit.

valde emarcidi ſint (*a*). In pauciſſimis nutritio ac incrementum corporis recte procedit (*b*), pleriſque auditus & viſus hebetatur (*c*) & alii quoque ſenſus (*d*). Alii nulla verba articulata proferre poſſunt (*e*). Aliqui continuo ſalivant (*f*). Multi fiunt amentes (*g*) & ſomnolenti (*h*). Aliqui ſpina bifida ſimul laborant ſive congenita, ſive poſthac demum accedente. At nullus vero pene in recto ſitu caput tenere prae ipſius gravitate poteſt. Quidam ſubinde convulſionibus vel particularibus vel univerſalibus, aut diſtentionibus ſimul pertentantur (*i*) per intervalla aliquoties etiam repetentibus (*k*), interdum etiam paralyſi, quae adeo membrum quoddam a nativitate iam occupat (*l*). Atque

---

(*a*) HILD. l. 10. Eſſays of Edinb. n. 22.
(*b*) WEPF. obſ. 25. SGUARIO l. c. HILD. IV. 10. DUVERNEY des malad. des os T. II. p. 8.
(*c*) WEPF. ll. cc. HILD. I. 11.
(*d*) HILD. I. 11. IV. 10.
(*e*) BARTHOL. I. 28.
(*f*) Id. obſ. 27. WEPF. obſ. 23. AURIVILL. diſſ. cit.
(*g*) WEPF. obſ. 23. Eph. N. C. dec. III. a. 1.
(*h*) SEVERIN. l. c. Eſſays of Edinb. III. 22. WEPF. obſ. 24.
(*i*) SEVERIN. l. c. FOREST. obſ. L. VIII. obſ. 30. WEPF. obſ. 29. Act. Helvet. Tom. I. p. 1.
(*k*) WEPF. obſ. 30.
(*l*) Id. obſ. 29.

haec vitia inprimis ſub finem lethiferi morbi ſuperveniunt, & vel coniunctim adfligunt, ita, ut v. c. pes unus paralyticus ſit, cum reliqua membra motibus convulſivis torqueantur (*a*). Alii in ſoporem lethargicum coniiciuntur & non multo poſt obeunt (*b*). Sub ultimis vitae menſibus nonnullis ſubito artus rubent, poſteaque livent, digitique ſimul intumeſcunt & ſplendent ceu aqua ſuffuſi; non diu poſtvero color iſte praeternaturalis & tumor rurſus evaneſcunt (*c*). Nonnullis ante mortem maculae rubrae in toto habitu corporis erumpunt: aliis ante mortem humor ſubcruentus ex ore fluit (*d*). Quibuſdam urinae incontinentia & prolapſus ani accedunt (*e*). Perraro paralytica affectio ex apoplexia ſecuta remanet haud lethifera (*f*). Niſi repente increſcit hydrocephalon, ubi intra paucos dies (*g*) vel primo alterove menſe lethum adfert (*h*); tunc ut plurimum infantes per annum dimidium, unum, duos vel tres eo

---

(*a*) Id. obſ. 23.
(*b*) HILD. Cent. I. 11.
(*c*) WEPFER. obſ. 25.
(*d*) Id. ib.
(*e*) MANGET. bibl. chir. L. 8.
(*f*) Eph. N. C. Cent. I. obſ. 29.
(*g*) ALBUCAS. l. c.
(*h*) WEPF. obſ. 29. Act. Helv. l. c.

pertentantur; ut rarioribus exemplis annumeranda ſint hydrocephala quatuordecim annorum (*a*), viginti quatuor, (*b*) & quadraginta quinque (*c*). Neque vero capitis moles continuo augeri pergit in tanta mali diuturnitate; ſed intra certos demum limites per plures annos nunc continetur (*d*). Rarum eſt, hydrocephalon foetus rumpi intra uterum: quod mortem omnino adfert (*e*).

§. IX.

In hydrocephalo interno humor aliquando e ventriculis deſcendit in medullam ſpinalem, & in inferiore ſpinae loco, aut, quod rarius, in cervice vel infima oſſis ſacri parte tumorem facit, quem ſpinam bifidam appellant (*f*). Inque foetibus vitium hoc iam oritur (*g*) aut paullo poſt enixum: atque tum ſaepe hydroce-

---

(*a*) TRIOEN. Faſc. obſ. med. chir.
(*b*) RIEDLIN. in Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 29.
(*c*) AURIVILL. diſſ. cit.
(*d*) RIEDLIN. l. c.
(*e*) WEPFER. obſ. 26.
(*f*) WEPF. obſerv. 29. TULP. L. 3. obſerv. 230. RUYSCH. obſ. anat. chir. 34. 35. 36. ZACH. VOGEL chir. WAHRNEHM. p. 413.
(*g*) Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 127. VOGEL l. c.

phalon praecedit. Ratio eius ortus haec eſt: humor in arterioribus cerebri ventriculis increſcens, per aquaeductum SYLVII in tertium ventriculum fertur, & ex hoc in quartum per valvulam cerebri maiorem perumpit, tandemque ex hac viam ſibi utcunque in iſtum vertebrarum canalem facit, quo medulla cerebri prolongata continetur. Atque cum in foetibus ac pueris ſingulae vertebrae ex tribus officulis per mediam cartilaginem tenerrimam diviſis conſtant, humor eam, quae in parte poſtica eſt, ubi adultorum vertebrae proceſſus ſpinales exigunt, paullatim una cum ipſis cereis officulis diducit, cutemque demum ipſam ſupra attollit. Saepe pueris, qui cum his tumoribus nati ſunt, pedes reſoluti & incurvi ſunt, ac in interiora obtorti: quod ex eo incidere poteſt, quod ſpinae medulla, ubi ex ea nervi educuntur, qui ad artus inferiores pertinent, ab humore compreſſa reſolvitur. Membra vero reſoluta, quoniam non aequabiliter increſcunt, eam figuram retinent, quam forte a ſitu, qui eis in utero fuit, traxerunt. Hoc genus tumoris, quia crebrius cum hydrocephalo interno eſſe ſolet, haud dubie ex aquarum in caput redundantia enaſcitur: etenim non ſolum hydrocephalum decreſcit, ſi ex lumborum tumore per ſcalpellum

diviſo humor effluxit; ſed viciſſim denuo increſcit, ſi illa plaga iterum fuit glutinata (*a*). Ex inciſo tumore multus & limpidus humor plerumque exit, & infantes, eo aperto, brevi poſt moriuntur. Idemque etiam a ſponte rupto tumore contingit (*b*).

§. X.

Hydrocephali autem tam interni, quam externi cauſſae non aliae eſſe poſſunt proximae, quam quae hydropem generatim inferre in corporibus humanis conſuerunt. Serum ob apertionem vaſorum lymphaticorum exhalantiumve in capite extravaſatum iſtiuſmodi tumorem producit: ut adeo, quidquid ſanguini & lymphae obicem aliquem in ſuo curſu obiicit, ipſam illam apertionem efficiat & facilitet, ſive hoc ſit externum aliquid comprimens, aut nimia venarum lymphaticarum laxitas, aut vitium ipſius lymphae, quo ipſius excretio impeditur. Neque ita ſemper hae cauſſae latent, quin ſenſibus clare percipiantur: ſiquidem lapſus, contuſio,

(*a*) Eph. N. C. dec. 3. a. 1. obſ. 152.
(*b*) Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 127.

tuſio, morbi praegreſſi acuti vel longi, maxime rachitis, atque tinea, & cachexia hydrocephalum ingenerant. Ita v. c. notarunt id malum ex praecipiti lapſu capitis in pavimentum WOLFIUS (*a*), ex morbo acuto HILDANUS (*b*), ex ſuppreſſione febris intermittentis & ſubſequente cachexia cl. MATERNUS (*c*), ex cruſta lactea ſponte regreſſa SGUARIO (*d*), ex inſigni aſthmate, tuſſi & macie GABELCHOVERUS (*e*), ex illito adverſus capitis tineam unguento, quod arſenicum & ſulphur habuit (*f*) a ſcabie capitis & faciei per adſperſam ligni putridi a vermibus eroſi farinam AURIVILLIUS (*g*). Venas encephali ac plexum choroideum plerumque turgidum & varicoſum repererunt diſſectores, glandulam etiam pituitariam induratam: cui vero omne hydrocephalum adſcribere cum PETITO non licet (*h*); ſiquidem haec & integra ſaepe reperitur (*i*) ac

(*a*) Obſ. 14. p. 47.
(*b*) III. 19. IV. 10.
(*c*) Nov. Act. N. C. T. I. obſ. 3.
(*d*) *Raccolta d' opuſc. ſcient. e filol. T.* 40. *p.* 239.
(*e*) Cent. I. cur. 7.
(*f*) Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 157.
(*g*) Differt. cit.
(*h*) Mem. de l' Ac. des Sc. de Par. 1718. p. 82.
(*i*) Ib. ann. 1740. p. 530. edit. Amſtel.

interdum prorſus deeſt in hydrocephalo (*a*). Quandoquidem vero evidentes cauſſae hydrocephalum producentes non ſemper adſunt, & ſaniſſimi infantes eodem pertentantur; vitium occultum in vaſis lymphaticis tum merito adcuſamus, quod in ipſorum praeternaturali & ſponte orta laxitate quaerendum; quae in encephalo infantum ac puerorum, utpote parte corporis imbecilliori, pluribus aliis morbis ideo quoque opportuna, facillime oriri poteſt. An violenta capitis ab obſtetricis manu in ipſo enixu compreſſio, quam auctores tum veteres, tum recentiores inter cauſſas hydrocephali allegant, tantum valeat, ut id ipſum inde oriatur, illud quidem probabile mihi haud videtur; ſiquidem nec a fortiore compreſſione, quam forceps praeſtat, id malum produci obſervamus. Similiterque perperam PLACENTINUS ortum mali poſiturae infantis in utero materno, qua capite inclinato propendet, adſcribere mihi videtur; quum multo illud frequentius ſic excitari oporteret, ac quidem occurrit. Neque veriſimile eſt, quod HILDANUS credit (*b*), hydrocephalum ex imaginatione matris in utero contrahi.

(*a*) M. N. C. Dec. I. a. 2. obſ.. 47.
(*b*) Cent. obſ. 3.

§. XI.

In curatione interni hydrocephali nihil valet ars medica: neque enim evacuantia aut topica aliquid hic praeſtant, neque oſſium perforatio aut diſſectio ſuturarum. Prudenter iam monuit AEGINETA, manum huic hydrocephalo ceu deſperatae ſalutis non eſſe adhibendam (*a*). Et quam infeliciter trapanatio aut inciſio ſuturarum in hoc morbo ſuſcipiatur, illud plures quoque recentiores obſervatores teſtatum eunt, ac ſimul adfirmant, quod mors inde omnino acceleretur, ſiquidem quotquot huic chirurgiae ſubiecti fuerint, ii certiſſime ad ſummum intra 48. horas pereant, ſaepeque inter quinque vel ſex, etiamſi aqua non una vice, ſed partitis emittatur (*b*). Equidem cl. LE CAT ſibi perſuaſit, quod ſingulari acu triquetra, a ſe ad perforandum cranium inventa, & ita quidem fabrefacta, ut repetita aquae eductio inde commodiſſime obtineri poſſit, ope-

(*a*) L. c.
(*b*) WEPFER. obſ. 24. 26. Phil. Tranſ. Vol. 47. p. 267. Mem. de l'Ac. des Sc. Par. 1718. p. 81. verſ. germ. SGUARIO l. c.

ratio feliciorem exitum habitura fit: at finem tamen fperatum ille haud obtinuit, fiquidem infans nihilominus paucis poſt primam operationem diebus exſpiravit (*a*). Rapiuntur vero tum infantes lethargo aliquo & convulſionibus. Equidem ſub legitimorum remediorum internorum, purgantium iteratorum, diureticorumque uſu videtur ſubinde hydrocephalum internum nonnihil detumeſcere; at gaudium iſtud nunquam longum eſt (*b*). Neque alii morbi ſupervenientes, qui alias praeſidio eſſe corporibus affectis conſuerunt, velut febres, variolae & morbilli hydrocephalum internum levant, ut nos aliquoties vidimus. Ut adeo SEVERINO certe citra omnem uſum excidiſſe videatur pronuntiatum, quod variolae & alia exanthemata pueros ab hoc malo praemuniant (*c*).

§. XII.

Hydrocephalum externum tam inſanabile, ut prius, non eſt. Novit natura interdum id malum ſanare; nec artis praeſidia hic inutilia

---

(*a*) Phil. Tranſ. l. c.
(*b*) WEPF. obſ. 30.
(*c*) L. de abſceſſ. p. 185.

aut ſupervacua ſunt. Puerum ſe vidiſſe aſſerit PLACENTINUS, nullius Medici auxilio, ſed ipſius naturae opera per temporis diuturnitatem curatum, qui multos adhuc annos ſuperſtes fuerit (*a*). Et vidit quoque KHERNIUS hydrocephalum externum, ex repreſſa tinea ortum, per effluxum feri copioſum ex naribus, avribus & oculis ſublatum, relicta quidem inde lacrymali fiſtula (*b*). Neque tamen, ſin inveteravit hydrocephalum externum & cum malo corporis habitu eſt, curationem tam facile admittit, ac recens morbus, & a cauſſis, quae extrinſecus accidere ſolent, ortus. Tum vero remedia topica, diſcutientia, reprimentia atque roborantia omnem fere paginam ſola abſolvunt, ſi ſatis diu capiti ſuperhabeantur. Cuiuſmodi ſunt herba abſinth. rutae, maioran. ſerpill. thym. ſabin. puleg. roſmar. lavend. flores arnic. baccae iunip. agaric. ſemen cartham. aneth. carv. radix ireos Fl. bryon. myrrh. quae ex vino auſtero rubro aut aqua calcis vivae coquuntur, & ex quo decocto dein parum calide exprimuntur: quibus ſub finem demum reprimentia, velut rad. biſtort. tormentill. fol. quercus, gallae, herba alchym.

(*a*) L. c.
(*b*) Eph. N. C. Cent. I. & II. obſ. 157.

& verben. poſſunt admiſceri. Nec ſpirituoſi liquores, ut ſpir. ſalis ammon. anthos atque balſ. ſulph. thereb. capiti inutiliter illinuntur, ſimulque cum facculis frequentantur, quo intra paucos dies hydrocephalum poteſt diſpelli (*a*). Ceterum felicium curationum ſpecimina prodiderunt AMAT. LUSITANUS, FORESTUS, & PLACENTINUS: quae brevibus hoc loco memorare non ſupervacuum exiſtimo. Ille intra tres dies ſanavit hydrocephalum unguento ex pulvere abſinthii, fl. chamom. Rom. butyr. rec. ol. chamom. & cera parato (*b*), FORESTUS vero ſola olei hyperici continua illitione, addito pulvere myrtillorum, intra paucum tempus curationem abſolvit (*c*). Expertum quoque habet linimentum, quod ex melle, ſale, & pulvere origani componitur. PLACENTINUS autem liberavit puellam ab hoc tumore intra anni dimidii ſpatium linimento ex ol. chamom. & ſulphure compoſito, quod quotidie illivit; ſimulque in parte tam anteriore quam poſteriore capitis ulcus excitavit (*d*). Cutim flaccidam optime quoque adſtringit, ſimulque calvariae

(*a*) ZACH. VOGEL l. c.
(*b*) Cent. I. obſ. 69.
(*c*) Obſ. L. III. 5.
(*d*) L. c.

oſſa adducit illa faſcia a GUID. DE CAULIACO inventa, quae in duo fines glomerata caput arctius comprehendit, *la Capelline* appellatur. Quin adeo haec ſola interdum ſufficit ad tumoris diſcuſſionem, ut fidem facit SAM. FORMIUS apud RIVERIUM (*a*). Quodſi vero tumor his non diſcutitur, ſcalpelli etiam opera adhiberi debet, ita, ut caput humore turgidum una linea per medium tranſverſa incidatur, ſi exiguus humor ſubſlet; ſin magis caput inturgeſcat, duobus per medium ſe mutuo ſecantibus; ſin magis adhuc ſit tumidum, etiam tribus, ad ſimilitudinem H litterae. Reperti ſunt in Graecia, qui novem lineis cutem capitis inciderent; item reperti ſunt, qui a capite recte eas lineas ad tempora diducerent. Ubi humori exitus ſic datus eſt (quem ſine neceſſitate per cannulam facilitat (*b*)), inſertis linimentis benelaeo perfuſis pars commode deligatur, hocque ipſo per aliquot dies perfunditur. Sane antiqui omne hydrocephalum externum ſtatim ab initio inciderunt, haecque inciſio ſola ad ſanationem omnino ſufficit; quemadmodum id

---

(*a*) Opp. obſ. Cent. n. 6.
(*b*) HIER. FABR. AB AQUAPENDENTE Chir. P. 353.

aliquoties etiam FORESTUS expertus eſt (*a*): candide tamen ille quoque expertus ſcribit, infantes hydrocephalo laborantes facilius & tutius poſtmodum cum exſiccantibus & reſolventibus medicamentis exterius admotis a ſe curatos eſſe, quam inciſione (*b*). Interim & ferro candente occipitium recte aduritur in vicem inciſionis, inprimiſque in altera hydrocephali ſpecie, ubi inter calvariam & perioſteum aquoſus humor collectus eſt: cuius chirurgiae egregium ſucceſſum a PISONE confirmatum legimus (*c*). Fere etiam aequale eſt, &, ut PLATTNERUS ſcribit, magis opportunum, per cutim perforatam ſetaceum traiicere, quo & aqua effluat per plagam, & pus moneatur (*d*): ubi vero videndum, ne gangrena ulcus comprehendat. Interna, quae alias ratione magis, quam rerum uſu commendari ſolent, remedia ex purgantium, diureticorum, ſternutatoriorum atque collutoriorum claſſe, fere ſupervacua habenda, cum citra iſtorum adminiſtrationem malum perfectam curationem recipiat.

SALOM.

(*a*) L. III. obſ. 5.
(*b*) L. c.
(*c*) Libr. cit. P. I. c. 4. p. 43.
(*d*) Inſtit. Chirurg. §. 753.

SALOM. CONSTANT. TITII

PROF. MED. VITEBERG.

ORATIO

DE

PELLAGRAE

MORBI INTER INSUBRIAE AUSTRIACAE AGRICOLAS GRASSANTIS PATHOLOGIA

Viteberg. 1792.

MOrborum, quos in noſocomiis maioribus, Mediolanenſi atque Ticinenſi, medicorum curae ſubiectos vidi, alii quidem aliis maiorem mihi attentionem moverunt, maximam tamen ille, qui & ſingulari ſuo decurſu, & indomita indole, & mira, domeſtica quaſi frequentia, prae reliquis omnibus longe videbatur graviſſimus. Quaecunque igitur illius obſervandi occaſio, mihi tum in inſtituto clinico, tum in ipſis noſocomiis, ſubnaſcebatur, ea effecit, ut non viva ſolum voce ill. FRANKII, Praeceptoris

mei admodum colendi, ſed amici quoque meritiſſimi, exper. STRAMBII colloquio, & propria tandem obſervatione, pleniorem morbi cognitionem colligerem, ſimulque, quas nonnulli ſcriptores de eo prodiderunt, conferrem animadverſiones. Qua quidem ratione ortus eſt libellus hic, quem in praeſens, cum ſpecimen aliquod ſub novi muneris auſpiciis edendum ſit, publici iuris facere eo minus abhorrens ab inſtituto meo putavi, quo magis argumenti novitate lectoribus ſeſe commendaret. De morbo ipſo neque opus integrum componere, neque de methodo illius medendi quicquam addere placet. Eſt enim lentiſſimum malum & inſidioſum, de cuius perſanatione nonniſi poſt multos annos certi quicquam ſtatuere licet; adeoque de medela hucuſque medicis parum conſtat. Solam itaque morbi hiſtoriam exhibeo, eo etiam conſilio, ut ſi qui ſint inter noſtrates, qui eiuſmodi morbum vel ſimilem obſervarint, aut perſanarint extra Italiam, ad promulgandas ſuas obſervationes invitentur, atque ſic a medicis quoque exteris quicquam medelae terris Inſubricis forte afferatur.

Commune huius affectionis morboſae nomen *Pellagra* (*a*), a pelle ſive cute vitiata

(*a*) Formationi huius vocabuli hybridi ſimilis illa Pudendagrae atque Mentagrae eſt. Hanc poſterio-

derivatum, rectius Dermatagra dicendum. Anni effluxere non multi, ex quo morbus hic frequentia ſua medicorum in ſe convertit attentionem, quam initio levibus ſuis principiis & per vices recurſu effugerat. Non enim ſubito & uno quaſi impetu caput extuliſſe videtur. Quod, quam verum ſit, tum quaedam aegrotorum hiſtoriae, tum medicorum teſtimonia comprobant. Plures enim huius generis aegroti, quinquaginta amplius annos nati, patres ſuos eodem malo quondam periiſſe, conqueſti ſunt. Addunt alii, morbum olim fuiſſe leviorem, & ſymptomatum, quae nunc obſervantur, nervoſorum comitatu caruiſſe, & propter manuum defoedationem, inprimis ſenſus ferientem, malum rubrum (*il mal roſſo*), fuiſſe appellatum. Cl. STRAMBIO teſtimonium affert medici octuagenarii, qui iuvenis exempla diri huius

rem PLINIUS deſcripſit in Hiſt. Natur. Lib. XXVI. c. 1. in quem locum CONR. IOHRENS Diſſ. de Mentagra. Praef. ad Viadr. commentatus eſt. Alludit quoque ad hunc PLINII locum ANDR. ALCIATUS Emblem. n. 198. Mentagram vero a noſtro morbo vehementer differre, & ipſo aſpectu multo diriorem noſtro eſſe, ex horum ſcriptis, praecipue ex PLINIO, ut etiam ex ill. HENSLERI libro: *Vom abendländiſchen Ausſatze. Hamb* 1790. 8. pag. 307. ſeqq. liquet.

morbi, rariora tamen minuſque atrocia viderat. Idem ſua auctoritate Cl. VIDEMAR confirmat. Hodiernus igitur morbus ſi diſſimilis olim obſervato eſt, id, puto, vel gradui, minorumque ſymptomatum vehementiae, vel minori cauſſarum vi atque frequentiae, tribuendum eſſe, ut malo paullatim aucto, vel quicquam imminuto noſter tandem funeſtiſſimus morbus prodierit. Caeterum num novus morbus ſit, an ab antiquis iam deſcriptus, nihil nunc attinet diſquirere; his enim amplior locus infra dabitur, ubi de natura huius mali diſputabo. Sufficiat ea, quae novimus, morbi primordia ab eo inde tempore, quo latius ſerpere coepit, inveſtigare. Ipſius itaque faciem primo & ſymptomata, quae vel perpetua ſunt, vel abeſſe poſſunt, aliorumque morborum ſimul accedentium connubia, deinde diverſas mali formas, cauſſas & exitum deſcribam; quo facto locum ſuum iſti morbo in ſyſtemate noſologico aſſignare, minime erit difficile.

HISTORICA.

Ea eſt huius morbi indoles, ut clanculum ſubrepat, nec ei, quem primum invaſit, ullam moleſtiam, niſi debilitatem, quae tot mala co-

mitatur, atque impetiginis ſpeciem cum cutis rubore coniunctam afferat, ita, ut aegrotantem pariter ac medicum per vices eundo & redeundo facile decipiat. Pleriſque incredibile videtur, exigua morbi naſcentis phaenomena, tantarum miſeriarum praeſagia eſſe. Quam ob rem, malum olim, cum mitius, rariuſque eſſet, fere neglectum fuiſſe, minime mirandum eſt. De morbi hiſtoria, quae forte memorantur, obſcura ſunt, uſque ad illud tempus, quo FRAPOLLI (*a*), medicus quondam noſocomii Mediolanenſis, eundem, adiectis ex eiuſdem noſocomii diario aliquot aegrotantium hiſtoriis, noſtra aetate omnium primus deſcripſit. Qui quidem libellus, quamvis multa contineat, quae ſucceſſu temporis rectius vel limitata, vel emendata fuerunt, ſat claram tamen morbi fatalis exhibet notionem. Aliquot annos poſt biga medicorum in diverſis regionibus novitate morbi adducta, eiuſdem deſcriptionem promulgavit. Alter quidem ZANETTI (*b*) poliater quondam Cannobii, ad

(*a*) Phyſici FRANCISCI FRAPOLLI, --- Animadverſiones in morbum, vulgo Pellagram. Mediolani 1771. 8.

(*b*) D. FRANC. ZANETTI --- de morbo vulgo Pellagra, diſſertatio, miſſa a. d. 12. April. 1775. & publicata in Nov. Act. Nat. Cur. Tom. VI. Norimb. 1778. 4. Obſerv. XXIV. pag. 118. ſeqq.

lacum Verdunum (*il Lago maggiore*) in comitatu Novarienſi, diſſertationem ſuper hoc argumento Novis Actis Naturae Curioſorum inſeri curavit, quae utcunque brevis, probe tamen, qua diligentia in morbum parum tunc cognitum inquiſiverit, docet. Alter ODOARDI (*a*), protomedicus olim Belluni, civitatis Venetae in viciniis Foroiulii, orationem in conſeſſu Academiae Bellunenſis, de morbo in provinciis Feltrienſi, Bellunenſi, Foroiulii endemio, atque pellagrae noſtrae ſimillimo (*b*) recitavit, quae poſtea Venetiis typis fuit exſcripta. Creſcente interim aegrotorum in Mediolanenſi

---

(*a*) *D' una ſpecie particolare di ſcorbuto, diſſertazione del Dott.* IACOPO ODOARDI, --- *recitata li* 18. *Luglio* 1776. ---- Typis impreſſa in *Nuova Raccolta d' Opuſcoli ſcientifici e filologici*, *Tom.* 30. *Venez.* 1776. 12. no. 7. & in *Opuſcoli ſcelti ſulle ſcienze e ſull' arti di Milano*. Vol. V. 4.

(*b*) Propoſitum quidem mihi eſt, pellagram, qualem in Ducatu Mediolanenſi reperi, deſcribere: id vero ſatis recte fieri nequit, niſi ea adiiciam, quae medicorum Venetorum obſervata docuerunt. Videlicet morbum illum in agro Veneto ſaevientem veram eſſe pellagram, in ſequentibus demonſtrabo, etiamſi forte in morbi gradu, imo in complicatione, ut videtur, ſcorbutica frequentiori, quaedam ſuboriri videatur differentia. Quibuſcum enim locutus ſum, Medici Patavini, ſe ſummum illud morbi acumen, quod Mediolanenſes deſcripſerunt, in agro Veneto rariſſime vidiſſe, aſſeruerunt.

noſocomio numero, remediiſque morbo compeſcendo oppoſitis, parum vel nihil prorſus valentibus; cl. GHERARDINI (*a*) medicus huius noſocomii, uberiorem morbi hiſtoriam diligenter compoſuit. Neque minus Societas patridophila Mediolanenſis (*b*) bene de miſerorum ſalute merendi ſtudio impulſa, medicos ad huius mali naturam, cauſſas, curam maiori diligentia explorandas propoſito praemio (1781.) excitavit. Quo melius autem medici publici per agros diſperſi, cognita morbi natura operam ſuam eidem impendere poſſent, quaeſtiones quaedam ad hoc argumentum ſpectantes, proponebantur. Praemium publice indictum Senatus Regius Ducatus Mediolanenſis, & noſocomii maioris curatores, haud mediocri pecunia auxerunt. Ex multis autem, qui de praemio per plures annos ſucceſſive promulgato, certarunt, nemo eodem potitus eſt, cum in deſcriptione

---

(*a*) *Della Pellagra, deſcrizione di* MICHELE GHERARDINI, --- Milano (1780.) 4. --- Cuius quidem libri verſionem germanicam hoc ipſo anno prodiiſſe legimus, cuius titulus: MICH. GHERARDINI'S *Geſchichte des Pellagra ; a. d. Ital. Lemgo* 8.

(*b*) *Atti della Società Patriotica di Milano, Vol. I. Mil.* 1789. 4. pag. XXIII. ſeqq.

& accurata morbi cognitione multa deſiderarentur. Non multo tempore poſt ſingularis tractatus auctore ALBERA (*a*) medico Vareſino, prodiit. Novis quibuſdam obſervationibus hic morbi hiſtoriam illuſtravit, cuius ſub finem ad quaeſtiones illas propoſitas ſimul reſpondit. Quibus certantium contentionibus cum prorſus nihil proficeretur, morbuſque in dies latius vagaretur IOSEPHI II., Imperatoris Auguſti munificentia factum eſt, ut noſocomium huic ſoli aegrotantium generi dicatum, duplici quidem conſilio, partim ut miſeris agricolis, hoc morbo correptis, ſubveniret, partim ut ſtudium huius mali, quovis vere recrudeſcentis, eoſdemque homines periodice invadentis foveret, exſtrueretur. In quem finem illius regionis, ubi malum in dies latius manaret, oppidum, *Legnano*, ab urbe, Mediolano, ſex circiter horis verſus ſeptentrionem diffitum, eligebatur; ibidemque anno 1784. noſocomium ad procurandos quinquaginta aegrotos condebatur, cura illius exp. CAIET. STRAMBIO (*b*) demandata, qui

(*a*) *Trattato teorico-pratico delle malattie dell' Inſolato di primavera, volgarmente dette* della Pellagra, *del Medico-Fiſico* GIOVANNE MARIA ALBERA d'Oleggio. Vareſe 1784. 8.

(*b*) De Pellagra obſervationes, quas in regio Pellagroſorum noſocomio collegit D. CAIETANUS

quanta diligentia & dexteritate officio ſuo ſatisfecerit, ſingulari opere, tribus voluminibus, optime comprobavit. Ibidem enim obſervationes per triennium factas, candide enarrat, & quae ad conſtituendam morbi hiſtoriam facere poſſunt, magno cum iudicii acumine inde deduxit. In eodem pellagroſorum inſtituto recens condito, obſervationes ſuas medicus Batavus, cl. IANSEN (*a*) collegit, qui peracto itinere litterario, poſtquam morbum ſatis ſibi cognitum reddiderat, illius deſcriptionem, vel hoc nomine laudandam edidit, quod pellagrae cum morbo alio, ſimilique admodum, Aſturienſi, quem cl. THIERRI (*b*) diligentius expoſuit,

---

STRAMBIO, Regius eiuſdem Director; ann. I. II. III. 1784. -- 1787. Mediol. 1786. -- 89. 3. Vol. 4.

(*a*) De Pellagra, morbo in Mediolanenſi Ducatu endemio, auctore X. W. IANSEN, Phil. & Med. Doctor. Lugd. Batav. 1787. 8. ---- recuſa haec diſſertatio in I. P. FRANK Delectu Opuſcul. ad medic. pract. ſpectantium Vol. IX. pag. 325. ſeqq. Ticini 1790. 8.

(*b*) THIERRI *in Recueil periodique d' Obſervations de Médécine, de Chirurgie & de la Pharmacie, à Paris. Tom.* 2. 1755. p. 337. ſeq. -- & in verſione germanica: *Sammlung auſerleſener Wahrnehmungen aus der Arzney-Wiſſenſch. Wundarzn. und Apothekerk. Aus dem Franz. B.* 2. *Frkf. u. Leipz.* 1758. 8. pag. 334. ſeqq.

comparationem continet. Poſt quatuor circiter ab inſtituto noſocomio annos, Divus IOSEPHUS II. mutato, quod prius ceperat, conſilio, illud ipſum rurſus ſuſtulit. Sed miſeris colonis, ne, quod hucuſque praeſtiterat, auxilium ſubtraheret, ſumtus, unde noſocomium hucuſque ſuſtentaverat, per plura praecipua ditionis Mediolanenſis noſodochia, habita amplitudinis ratione, diviſit, atque Mediolanum triginta aegrotos, publico alendos ſumtu, reliquos in Ticinenſe, Vareſinum, aliaque noſodochia, deferri iuſſit. Cl. STRAMBIO provinciam, qua cum laude functus erat, retinuit, & Mediolanenſi noſotropheo praefectus eſt, ut diligenter, pro more ſuo, quaenam huius mali natura ſit, indagare ulterius poſſet. Quo certius vero ſuam de miſerorum ſalute curam Senatus Supremus Mediolanenſis confirmaret, magiſque medentium ſtudia inflammaret, Cl. VIDEMAR (*a*), medico Mediolanenſi pro inſigni labore, quem ad tractatum de pellagra, licet non deciſa quaeſtione, contulerat, centum aureorum praemium decrevit. In quo quidem libro, Societati antea patridophilae oblato, dein-

(*a*) De quadam impetiginis ſpecie, morbo apud nos in ruſticis nunc frequentiori, vulgo Pellagra nuncupata. Mediol. 1790. 8.

ceps litterarum formis exſcripto, pellagram auctor pro hypochondriaſi ab atra bile deducenda, habet. Tantum vero abeſt, ut haec Auguſti providentia, medicorumque ſolertia, malum coërcere potuerit, ut potius altiores radices nuperrime egerit, multaque in agro Ticinenſi, Laudenſi, quin Placentino, atque ultra Padum, talium miſerorum exempla protulerit. Hinc probi omnes in votis ardentiſſimis habent, ut tandem modus certus proponatur, quo haec peſtis longe lateque per populos vagata, exſtirpari, & praemia eam in rem digna a Senatu Ducatus Supremo ulterius conferri poſſunt.

Non melior, ut videtur, fortuna territorii Veneti incolis, hucuſque arriſit. Numerum enim eiuſmodi aegrotorum in iſtis etiam regionibus increviſſe, ſcripta medicorum Venetorum abunde docent. Morbum certe, quem PUIATUS atque ODOARDUS Feltriae & Belluni endemium deſcripſerunt, cum noſtro convenire, recentiores obſervationes, paucis abhinc annis promulgatae, ſatis confirmant. Cl. FANZAGO, poſtquam Mediolani & Ticini iſtud mali genus diligenter indagaverat, in patriam, Patavium, redux, plures huiuſmodi aegrotos offendit, quorum hiſtorias ſingulari libro (*a*) com-

(*a*) *Memoria ſopra la Pellagra, del territorio Padova-*

plexus eſt. Mox alius medicus cl. DALLA BONA (*a*) morbum, quem diligenti inveſtigatione excuſſerat, ſcorbuto affinem, cum elephantiaſi Graecorum, & lepra Arabum plane convenire, imo adeo ipſam elephantiaſin eſſe, declaravit. Hos excepit tractatus, magno obſervandi ſtudio aeque ac iudicio elaboratus, a cl. SOLER (*b*), qui duodecim amplius annis, in provinciae Tarviſinae loco quodam S. Polo, morbi naturam diuturna & vigili cura penitus introſpicere allaboraverat, deinceps mutato domicilio laboris ſui fructus publici iuris facere decrevit. In eadem fere vicinia Aviani ad montes, ſex circiter horarum ambitu, eundem invenit D. SARTAGO (*c*), atque nomine ſcorbuti montani inſignivit. Morbum itaque in ditione quoque Veneta, in agro Bellunenſi,

---

no, *da* D. FRANCESCO FANZAGO. *In Padova* 1789. 4.

(*a*) *Diſcorſo comparativo ſopra la Pellagra, l' Elefantiaſi de' Greci, o Lepra degli Arabi, e lo Scorbuto, ed alcune rifleſſioni intorno la cura del* D. PAOLO DALLA BONA, *Veroneſe Venez.* 1791. 8.

(*b*) *Oſſervazioni medico-pratiche, che formano la ſtoria eſatta di una particolar malattia chiamata Pellagra, in cui ſi eſpongono i veri caratteri, le differenze, le cauſe, ed il metodo giudicato il più utile per curarla del* D. LUIGI SOLER, *in Venezia* 1791. 8.

(*c*) Leguntur haec in Ephemeridibus Venetis, quarum titulus: *Aneddotj Patrj*. no. 22. Venet. 1792. 8.

Tarviſino, Patavino, Vicentino, Baſſanenſi frequentem eſſe, multumque ſucceſſu temporis augeri, ex recenſitis Auctorum ſcriptis ſatis conſtat. Recentiſſime denique cl. FANZAGO (*a*) per eam occaſionem, qua nonnulli ſcriptorum fuſius de morbo hoc egerunt, novam eidem operam dicavit, atque ſcorbuto, elephantiaſi, hypochondriaſi, pellagra ſollicite inter ſe comparatis, poſtremum ſui generis peculiarem eſſe morbum argumentis confirmavit.

DIAGNOSIS.

Enarratis hactenus morbi hiſtoria, incrementis, ſcriptoribus, via nunc ad omnem illius decurſum, ſtadia, ſymptomata conſtantiora & accidentalia panditur.

Decurſus morbi. In nonnullis quaedam incommoda, quorum cauſſa minus patet, morbum proxime erupturum praenuntiant. Bonus corporis habitus, vigor naturalis ſenſim deficiunt, taedioſi, triſtes, levi labore defatigati, debilitatique incedunt, inſignis ſequitur pedum gravitas, ſtupor, vertigo, in primis caduca,

(*a*) *Paralleli fra la Pellagra ed alcune malattie, che più lo raſſomigliano del* D. FRANC. FANZAGO. *Padova* 1792. 8.

qua mente obnubilati, niſi a lapſu ſeſe ſuſtineant, in ſolum concidunt. Interiectis aliquot ſeptimanis, vel in pleriſque abſque ullo praegreſſo ſigno, ſub veris initium, aucto iam ſolis calore, morbus in omni corporis ſuperficie ſoli expoſita, capite tantum immuni, magis conſpicuus fit; in pedum manuumque dorſo moleſtus tractionis, tenſioniſque ſenſus, iam ardor, pruritus, epidermis leniter inflata, tuberculis obſita diverſi coloris, & rubore niteſcente tincta: Aegroti niſi ſolis actioni ſeſe ſubtrahant, langueſcunt, obſcurato viſu, totoque corpore vacillante, velut attoniti corruunt, refrigerio tandem in loco umbroſo ad ſe redeuntes. Poſt aliquot dierum ſpatium inflammationis haec cutaneae ſymptomata evaneſcunt, epidermis ſubſidet, ſiccatur, ſquamae paullatim decidunt, & cutis foedo veluti furfure adſperſa apparet. Epidermide ſic fatiſcente, cutis ſubiacens levis, mollis, colore primum obſcure rubro apparet, quo mox evaneſcente, priſtinam integritatem recuperat. Haec cutis affectio per aeſtatem in omnibus, pauciſſimis exceptis, diſſipatur, auctumno novi quidem in nonnullis inſultus, hyeme omnia plane ceſſant. Pulſus toto morbi tempore debilis, parvus, peracta demum hac impetigine denuo attollitur. Sic *primum* decurritur *ſtadium*,

quo aegroti praeter haec incommoda non adeo male ſe habent, pleriſque ad labores conſuetos redeuntibus, donec altera ſerius, ocyus irruat periodus. Quibuſdam plures defluunt anni, quibus aegroti recurſu morbi neque infeſtantur, neque a conſuetis laboribus, reſidua quadam debilitate, arcentur. Suborto nunc *ſecundo* morbi *ſtadio*, omnia iam in peius ruunt; ſymptomata impetiginis fortiora, pruritus magis mordens, ardor igneus, cutis durior, horrida, fiſſa, ſulcata, debilitas multum aucta, ut vel fortiſſimus ſuccumbat, maior in peragendis officiis ſegnities, laborum prorſus impatiens, moroſitas, functionum perturbatio, ſomnus inquietus, vigiliae, appetitus modo auctus, modo proſtratus; quibus plura accedunt ſymptomata nervoſa, capitis & ſpinae dorſi, de quo fere omnes conqueruntur, dolor, & quaedam delirii ſpecies, cum idearum confuſione. Sic ſemper ingraveſcente malo, cutis ſimul indureſcit. Impetigo parum iam moleſtat, & nervi peſſime afficiuntur; vertigines ſequuntur maiores, deliria melancholica & furioſa, triſtitia, ſolitudinis amor, memoriae debilitas, vitae taedium, & manus ſibi inferendi conatus, ut multa talium exſtent infelicium exempla, qui vel ipſi ſibi mortem conſcivere, vel ſaltem a facinore, felici

quodam fato, fuerunt repreſſi. Cl. STRAMBIUS in primis multos vidit; qui in aquam, mortis ſubeundae cauſſa, proſilirent, velut in contrarium hydrophobiae vitium ruentes. Mortem qui ſibi non conciliant, tanto ſaepe furore agitantur, ut non raro vinculis coërcendi ſint; diarrhoea ingruit, vires ſuccidens, vel hydropem lethalem, phthiſeſque fatales inducens. Frequentiſſime autem febre nervoſa vel ſtupidi, vel viribus exhauſti, diro morbo tandem ſuccumbunt. Fieri non poteſt, quin ex morbi, variorumque eiuſdem ſtadiorum deſcriptione, ſimilitudinem quandam cum variis febrium generibus, quilibet intelligat. Namque initio ſcenam intermittentis ludit, cum per maiorem anni partem ſua aegroti peragunt officia; increſcens ad remittentes accedit, malo denique ſummo, affixi lectis, nullo amplius defungi poſſunt negotio.

Symptomata. Quo melius autem morbi indoles pateat, uberior nunc ſymptomatum neceſſariorum, tum accidentalium, quae frequentius in huius generis aegrotis fuerunt obſervata, ſubiungenda eſt enarratio. Ad illa quidem impetigo, inſultus illi nervoſi, debilitas, ſtupiditas, aliaque referenda ſunt. Et praecipuam quidem attentionem *affectio cutanea* meretur,

quae

quae & perpetua eſt, & multa prorſus ſingularia ſecum habet coniuncta. Haec inflammationis in ſumma cute ſpecies, verum refert erysipelas, quod mox leviſſimum, ut vix ardorem efficiat, cum rubore minore, ſubſequente exſiccatione; mox ſimplex, cum ardore coniunctum urente, rubore roſeo, & furfurum deiectione; mox phlyctaenides cum phlyctaenis amplis, humore aqueo, interdum acri, vel flaveſcente ſero turgidis, quales in parte quadam corporis exuſta obſervare ſolemus. Manuum iſte ſqualor, quamvis ſimilitudine accedat ad illum, quem ruſtici, ardente ſole laborantes, manibus combuſtis quaſi, fixiſque calore, ſibi contrahunt; examine tamen ſubactius inſtituto inſigniter ab illo differt. Pellagra ſolas partes nudas ſoli expoſitas, ut collum, iugulum, pectus, brachia, tibias, omnium autem maxime pedum manuumque dorſum invadit; faciem fere nunquam, niſi apicem frontiſque ſuperficiem raro. Exempla exſtant aegrotorum, qui, ut morbum effugerent, ſolis ardorem ſtudioſe vitando, vitiligine quidem immunes, ipſum tamen morbum nihilominus ſenſerunt. Quod cutis vitium, cum nonnunquam deſit, perpetuis morbi ſignis haud annumerandum eſſe, aliquis forte credat. Attamen nihil plane in cute efflorescere

rariſſimum eſt. Omnes enim, qui ſole radiante in opere ſunt, cutem hac ratione habent exaſperatam, ſive ſanitas antea laeſa fuerit, ſive minus. Ecquis ſtatuerit puſtulas inter variolarum ſigna referri haud poſſe, quoniam ſubinde febris varioloſa abſque exanthemate obſervata fuit? Etſi quidam, pellagra aegreſcentes, manibus pedibuſque nullas maculas monſtraverint; iis tamen os & labia ſqualent, areſcunt, finduntur, vel aliae cutis loca, v. c. cervix vitiligine foedantur, vel plantae pedum vehementi calent ardore, quem quidem Cl. STRAMBIO in pleriſque nullo manuum vitio correptis animadvertit. Iſta morbi varietas a diverſo ipſius gradu, cauſſis evolutioni faventibus, vario temperamento, cutiſque ſenſibilitate repetenda eſſe videtur. Quod autem vitiligo per vices oritur, atque deſinit, id plane non impedit, quominus eam inter praecipua morbi ſymptomata recenſeamus: etenim ſemper ſtato tempore, veris nempe initio revertitur. Sed ſi duplicem aliquis morbi faciem, manifeſtam alteram, alteram larvatam confingere velit, ei nullo modo moleſtus ero. .... Haec vero cutis affectio non tanta eſt, ut vitae periculum intentare poſſit, beneque ageretur cum aegrotantibus, niſi alia, quae ex affecto ſyſtemate nervoſo oriuntur,

mala, debilitas corporis totius, dolores varii, ſpaſmi, vertigines, deliria, accederent. Praeter *debilitatem*, totum corpus labefactantem, *dolores* capitis ſpinaeque dorſi frequentiſſimi & conſtantiſſimi ſunt, non tantum in morbi vigore, verum etiam in primo eius acceſſu, cum ſaepenumero vitiliginem praecedant. Scena dolorum haec eſt: in capite vagi, pungentes, gravantes, lancinantes, terebrantes, rodentes cum ſenſu ardoris, quaſi flammae in cerebro accenſae, quin cum tinnitu aurium moleſtiſſimo, pulſatione neque in ipſa cerebri ſubſtantia copulati. Eadem ratione ſpina dorſi, titillatione ſcilicet ingrata, rapidoque velut fulminis percuſſa, afficitur. Dolor huc atque illuc per nervorum tractus migrat, brachia, pectus, lumbos, crura infeſtat, unde tam diverſa, a diverſis partis cuiuſque nervis affectis, phaenomena, praecipue frequens ille artuum inferiorum debilitas, atque vacillatio derivanda ſunt. Hinc pendent porro varia *ſpaſmorum* genera, ſub morbi decurſu obſervanda, quae tandem ita augentur, ut ſyncopen, epilepſiam inducant, ſic tremores, tetani variae ſpecies, tremor labii inferioris frequens, etiam in non delirantibus, crampus, rigor corporis, umbilici retractio, torpor pedum, clonica eorundem convulſio. Saepe alterutrum

latus ſolum laborat hemiplegia, ſaepe utrumque. *Vertigo* etiam in primariis morbi ineuntis adultique ſymptomatibus numeratur, & plerumque tam gravis eſt, ut ob aegrotantium oculos omnia rotando circumagi videantur, ipſique titubantes, niſi fulcrum praeſto ſit, ſuccidant. Id ipſum maxime iis accidit, qui ſolis radiis imprudenter ſe commiſerunt. Ab afflictione vertiginoſa duo forte alia, non infrequentia ſymptomata, *tinnitus* nempe *aurium* moleſtiſſimus, atque *diplopia*, qua obiecta duplicia apparent, repetenda ſunt. ---- Sub finem morbi alia triſtiora adhuc ſymptomata irruunt. Varii *delirii* gradus mitiores, fortiores; aegroti alii triſtitia oppreſſi, taciturni, obmurmurantes, melancholici, ſolitudinem quaerentes, vitae pertaeſi; alii laeti, clamitantes, canori. Interdum delirium in morbi acuti modum decurrit, & finito paroxyſmo per totum corpus ſudor conſequitur immundus. Is, STRAMBIO teſte, ſingulari odore foetus eſt, & mucorem, vel bombycum folliculos maceratos redolet. Alio tempore delirium fit chronicum, per omnem vitam ſummas miſeris creans moleſtias, ut ad negotia prorſus inepti, ſibi aliiſque difficiles ſint, donec vel febre nervoſa cum ſignis mortis imminentis, carphologia, pulſu exili, vitam fi-

niant. Alii ſtupidi ſunt, amentia ſua ſibi aliiſque admodum graves, alii furentes, vinculis coërcendi. Ad effectus delirii, praecipue melancholici, referenda illa eſt veſaniae ſpecies, qua vitae pertaeſi mortem ultro accerſunt. Veſaniae convulſivae nomine hunc ſtatum inſignivit cl. SOLER, in feminis frequentiſſime, in viris nunquam ipſi viſum. Neque ſolummodo delirio correpti, ſed de reliquo bene etiam ſe habentes, vitam ſibi adimere tentant; quod tamen certum infirmitatis animi ſignum eſt. --- Tantae ergo ſyſtematis nervoſi turbae, quae ex ſymptomatibus hucuſque recenſitis, functionumque laeſionibus oriuntur, ipſum aegroti vultum mirum in modum diſtorquent. In omnibus fere, qui tam longa, tam iniqua valetudine conflictati fuerant, vultus torvitatem, verbis haud exponendam, conſpexi. Singularis quidam ſupor faciem urget, oculi languent, inertes, torvi, ut moeror in iiſdem haud difficulter dignoſcatur.

Complicatus morbus. Haec vero conſtantiora morbi ſymptomata, quae eiuſdem indolem formant, cutis maculae, debilitas univerſalis, aliaque nervoſi generis incommoda, frequenter cum aliis multis, ab aegrotorum diverſa conſtitutione, a temperamento, morbis praegreſſis, vel ab aliis complicatis malis, manantibus,

coniunguntur. Enarremus hic ea ſolummodo, quae frequentius morbum comitantur, vel ei ſimilia ſunt, vel denique ex regionis aërifve natura pendent. Saepiſſime abeſt *febris nervoſa*, cum virium defectu maiori, pulſu inconſtanti, delirio, ſubſultibus tendinum, aliiſque mali ominis ſymptomatibus, quae non raro morbum finiunt. Cum *inflammationibus* rarior, eoque funeſtior complicatio, quo magis inter ſe pugnat utrique morbo medendi methodus, cum inflammatio motus nimios cohibere, pellagra autem vires erigere iubeat. *Dyſenteria*, quae interdum ſub morbi finem acceſſit, ab anni potius charactere repetenda eſt, funeſta autem, quod corpus iam debilitatum magis deſtruit, in diarrhoeas pertinaciſſimas abitura, unde variae hydropis ſpecies, in primis leucophlegmatia atque aſcites mortem mox inducunt. *Scorbutica* ſymptomata in regionibus Mediolanenſibus rarius viſa, quam in Venetis, ex ODOARDI, atque SOLERI teſtimoniis, qui frequenter gingivas laxas & cruentas, dentium nigrorum, cariem, lapſum, animam foetidiſſimam obſervarunt. Haec igitur ab alius morbi conſortio potius, quam a morbi natura pendere videntur. Praeter conſtantem illam cutis corruptionem, ſupra uberius expoſitam, rariora ſunt alia *mala*

cutanea, ut ecchymoſes in dorſo manuum, poſteriori cubiti parte, in genis, vario colore diſtinctae, lividae, ut plurimum laete rubrae, evaneſcentes, redeuntes; veſiculae ad pedum malleolos; puſtulae porro prurientes, a ſcabioſis ſitu atque contagii immunitate diverſae. In primis cl. STRAMBIO herpeticum quoddam cutis vitium notavit, ab impetigine illa, huic morbo propria, bene diſtinguendum, quod ipſe in aliis aegrotis, qui morbo non ſuccumbebant, acute advertit. Cl. SOLERUS contra non pauca in diverſis aegrotis vidit ſymptomata *elephantiaſin Graecorum* aemulantia; cutis partium ſoli non expoſitarum, ſub axillis, poplite, quandoque afficitur; eadem in vertice ſcabra, furfuracea, capilli quaſi aduſti, ut in tinea, decidunt, ungues incurvantur, ut quaſi emortui tartareas conficiant concretiones, quae deinceps ſolvuntur, totius corporis color luridus, frons corrugata, oculi inflammati. In cadaverum ſectionibus non raro *viſcerum* imi ventris *obſtructiones* repertae, quas in primis cl. SOLER in pellagra humida invenit, & veritati convenienter pro hydropis cauſſa habet. Eadem vero phaenomena, ubi adſunt, potius ut morbi effectus, non ut cauſſae conſideranda videntur, cum a morbo iſto, totam machinam perturban-

re, haec etiam viſcera male affici neceſſarium ſit. Frequentia ſunt quaedam *viſus vitia*, ut hemeralopia, vel amblyopia crepuſcularis; in feminis praecipue menſtruis per vices cedens, atque catameniorum fluxu ad tempus ſublata; diplopia accuſatur a plurimis, ab aliis autem continua viſus hebetudo. Alia ſenſus ſaporis accedit immutatio. Nam pleriſque falſus quidam moleſtiſſimus ſapor cum maiori, minorive ſalivae profluentis copia; lingua tumida, dura, calor oris moleſtus, faucium dolores. Sitis magna, ciborum nunc faſtidium, nunc incredibile deſiderium, pica adeo, vel malacia. Tuſſis non raro, cum eroſionis in faucibus ſenſu, ſicca, chronica, facile in phthiſin abiens. Sudant aegroti frequenter abſque cauſſa evidente, ut ex debilitate ſudor praecipue partialis in manibus, pedibuſve cum ardore coniunctus, repetendus videatur.

AETIOLOGIA.

Tranſeuntes nunc ad cauſſarum morbi examen, magnis implicamur difficultatibus, quas & morbi ipſius obſcura natura, & auctorum diſſenſus obiiciunt. In tanta igitur rerum confuſione, quo turius verſemur, neque ipſi impe-

diamur, conſueta illa cauſſarum diviſio, in remotas atque propriores, fundamenti loco ponenda erit.

Pluribus comprobatum legimus exemplis, magnum horum aegrotorum numerum *haereditaria* quadam labe infectum, citius, tardius, huic ſubiectum morbo fuiſſe. A parentibus pellagroſis nati, plerumque adultiore aetate, frequentius poſt pubertatis annos, quin prima interdum infantia & lactantes adhuc, fomitis morboſi intus latentis, externas notas prodiderunt. Integras non raro videris familias, quarum ſingula membra, ut commune gentis ſuae ſignum, morbi huius circumtulerunt indicia: ſic parentes, filii, forores, fratres, nepotes, vel ex contagii communione, communem manifeſtamque originem teſtatam fecerunt. Unde ſimul ſtatum, morbi evolutioni inter alia faventem, in fomite per haereditatem propagando recte quaeri concludimus. Forte aliquis obſcuram hanc eſſe originem ſtatuat, qua eo minus innitendum ſit, cum aliae manifeſtiores cauſſae in promptu ſint. Sed experientiam id docere reſpondeo, quanquam de via & ratione, qua morbus a patribus ad liberos transferatur, nihil certi nobis conſtat. Neque tamen inficiamur fuiſſe aliquos, qui huius mali gentilitii vim

effugerint. Quae quidem quorundam felicitas, vel in eo quaerenda, quod certus morbi ſtatus requiratur, ut haereditate communicari poſſit; vel ſi iam translatus ad prolem fuerit, felici fato occaſiones morbo eiiciendo accommodatas vitando, vel alia ratione aptitudine infirmando, ipſum malum vincatur. Ut vero olim a quibuſdam primus morbus in gentes introductus, ſic nunc quoque multi, quorum parentes ab hoc malo immunes fuerunt, primi ex ſua gente eodem corripiuntur.

Alias vero hic cauſſas ſubeſſe oportet, quae, ut olim gignendo, ſic recens producendo malo pares ſunt. Quam plurimi ſane in eruendis cauſſis, multum laboris, ſtudiique impenderunt, ut diligentius in omnem victus vitaeque rationem, iis praeſertim regionibus uſitatam, ubi malum primum caput extulit, maximumque agricolarum numerum proſtravit, inquirerent. Tanta autem, pro agrorum viciſſitudine, coelique mutationibus in his deprehenditur diverſitas, ut hic iudicium experientia & ratione fundatum, inferre difficillimum ſit. Non per humidiores tantum agros, paludoſaſque regiones, ſed ſiccas quoque aridioreſque, per collium vicinias, per montes Briantinos, diſſeminatum eſt hoc malum. Victus atque vitae ratio, niſi

omnis ſimul ſpectetur, nimis generalia exhibet momenta, quae inter cauſſas tanti morbi vix recenſeri poterunt; omnis vero illa vivendi ratio inter ſe unita, ut debilitatem totius corporis infert, ſic vitale robur frangit, humorumque pravorum elaborationi quam maxime favet. Hinc longe funeſtior cauſſa in illa quaerenda eſt inſigni *debilitate*, qua maior, eaque utiliſſima populi pars, agricolas, puto, homineſque rure viventes, in hiſce regionibus potiſſimum proſternuntur. Iſte ſtatus certe deplorabilis ab extrema hominum miſeria derivandus, iureque miſeriae morbus appellandus erit. Quod quo melius probetur, omnis miſerorum vivendi ratio paucis adumbranda eſt. Puer, ſi pericula, quae ipſi in utero materno per improbos illos labores, ad quos perferendos mater ad extremum uſque graviditatis terminum neceſſitate urgetur, vel ſub ipſo momento, quo lucem conſpecturus eſt, imminebant, felici fato evaſit; raro illo naturae beneficio, omnibus animalibus conceſſo, lacte ſcilicet materno eoque bono & abundanti, ut primo nutrimento fruendi, gaudebit. Aliae enim matres, ob magnam corporis maciem, viriumque defectum vix pares ſunt tantae lactis boni copiae in uberibus parandae, quanta infans, ut probe nutriatur, indiget. Sed ſi forte

in matre adhuc iuvene primus hic animalis alimenti fons largo adhuc fluxerit flumine, eadem mox paupertate oppreſſa, ſpe quicquam lucrandi abrepta; ubera ſua alienae matris puſionibus mercede conducta praebet, prolemque ſuam alimento fraudat. Sic unicus ille futuri roboris viriumque integritatis fons, infanti contra naturam negatur. Ad famem eius exſtinguendam, ad ploratus leniendos, cibus durior, nondum a tenero ventriculo ſubigendus, pultes nempe ex aqua & frumento turcico (Zea Mays L.) factae vi ingeruntur, quae mox in tenaciſſimam abeuntes maſſam innumerabilium morborum ſemina iaciunt. Hinc frequentes illae meſenterii obſtructiones, varii atrophiae effectus, multique alii morbi, graviſſima per omnem vitam incommoda producentes. Sunt interdum nonnulli, qui haec infantiae pericula eluctati, puerilem conſecuti aetatem novas, quibuſcum conflictantur, nunc reperiunt difficultates. Quamprimum enim vires corporis quicquam valent, ſtatim duro, moleſtiſſimo labore, cui iſthaec aetatula impar eſt, parentum egeſtate, ſubeſſe coguntur, quibus praematuro ſudore infantiae threpteria, parca manu oblata, remunerant. Corpus enim illo ipſo tempore, quo viribus ad incrementa ulterius capienda maxime indiget, labore fra-

ctum, multo ſudore diffluens, virtutem vegetam ſenſim amittit, alimentis haud reſtituendam, quippe quae nec reficiendo corpori, nec exhilarando animo ſufficiunt. Maxima enim pars horum infelicium pane veſcitur male fermentato, crudo, humido, ponderoſo, ex frumento turcico, vel ſolo, vel cum exigua ſecalis quantitate facto; pultibus ex farina eiuſdem ſeminis, addito leguminum quodam ſiccorum genere, mera aqua coctis, lardoque & oleo conditis, maſſamque crudam efficientibus. Iuſculum porro ex oryza, miſtis fabis, vel braſſicae, vel leguminum ſiccorum tenui particula, avidiſſime ſorbent; qui ipſe cibus incolis communiſſimus, optimus quidem inter reliqua alimenta, eas adhuc, quibus gaudent, vires largitur. Fructus contra horaei, ova, lac, carnes, tum nutrimentum bonum tum meliorem humorum miſtionem praebentia, vix unquam deguſtant. Potus ipſis eſt in profundioribus locis aqua, eaque ut plurimum impura; in elatioribus, ubi vites coluntur, vinum ſecundarium, *la poſca* vulgo dictum. Tali ergo nutrimento, cum nunquam bonus elaboretur chylus, omnia in maſſam convertuntur pultaceam; cuius ſolutioni condimentum ſalis prodeſſet, niſi illius uſus propter maius pretium, vel plane denega-

retur, vel exigua portione, paucis tantum granulis impuris & ſordidis, concederetur. Sed non minor in contuberniis miſeria. Habitacula ut plurimum miſerrima, anguſta, impura, inſalubria. Quamdiu coeli amoenitas permittit, in colendis agris corpus laboribus fatigant, hyeme ob coeli aſperitatem tuguria petunt, per plures menſes in ſtabulis iumentorio vivunt contubernio. Hic ne frigidiuſculus aër accedat, ianuam exiguam ſedulo occluſam habent. Aëris adeo, cuius acceſſus novus impeditur, corruptioni favent quoque immundities habitationis ſumma, ſpurcities lectorum teterrima, ſterquilinia iu caſarum viciniis, ut corpus humanum, niſi ab infantia eiuſmodi ſordibus aſſueverit, in tanto ſqualore, tantoque luctu, vix crederes, eſſe & ſervari poſſe. Quo igitur pacto huiuſmodi vivendi genere vires corporis labore nimium quantum exhauſtae refici poſſunt? Villicorum improbitas, quo melius Dominorum, reditus ſuos quotannis augere ſtudentium, avaritiam expleant, ſibique ſimul proſpiciant, graviores, quam exhauſta corpora ferre poſſunt, imponere labores ſolent. Corpore ergo debilitato, operibus duriſſimis oppreſſo, omnis machina animalis turbatur. Hinc habitus ille triſtis omnium fere per iſtas regiones agricolarum,

color flavus, cachecticus, parva corporis ſtatura, facies vel tumida, vel macilenta, membra rigida; feminarum menſtrua irregularia, frequentes abortus, partus difficiles; ſaburra primarum viarum continua, ad quam ſub cuiuſvis morbi, hoſce homines invadentis, cura primum attendendum eſt; ſenium praematurum, ut viros quadraginta annos emenſos, ad ſummum quinquaginta annorum, ſenes decrepitos, non ſine admirationis ſenſu, putes. His quae hactenus propoſui (*), quanquam iſtam colonorum inſubrium miſeriam pellagrae primariam cauſſam eſſe, haud afferam; quod illa in aliis regionibus; quarum incolae ſimili, quin maiore adhuc calamitate opprimuntur, ignoratur; contendere tamen omnino poſſum, infirmitate illa, quae paupertatis progenies eſt, aditum morbo, corpus data occaſione invaſuro, parari. Videmus enim hunc ipſum frequentiorem atrocioremque eſſe agricolarum, praecipue miſerrime conditionis morbum, eumque penuria increſcente, latius

(*) Quam hic paucis modo mihi adumbrandam ſumpſi infelicem huius gentis ſortem: eam vivis veriſque coloribus, ut ſolet, depinxit ill. FRANK in oratione quadam academica: „ de populorum miſeria „ morborum genitrice “ habita a. d. 5. Maii 1790. inſerta eius Delectui Opuſc. Vol. IX. pag. 302--324.

manare. Sunt inter ſcriptores, de morbo hoc in Patavino agro referentes, qui nunquam exempla hominum ingenuorum eodem afflictorum, ſe vidiſſe, aſſerunt; quorum quidem aliqua, quamvis rariora, in Mediolanenſi tractu, occurrunt. Maxima vero horum aegrotorum pars inter artifices fuit, vel ſimili oppreſſos inopia, vel in agris miſeram vitam degentes. Rariſſima contra aegrotorum, in meliori fortuna conſtitutorum, exempla ſunt, quorum levior omnino morbus, ſola impetigine, atque univerſali debilitate diſtinctus, moeſtiſſimam illam faciem nunquam induit. Pluribus porro obſervationibus comprobatum eſt, morbum hunc, debiliore corpore, poſt aliam aegrotationem, praecipue poſt febres intermittentes, in chloroticis, cachecticis, frequentiſſime prima vice prodiiſſe. Ex amiciſſimo STRAMBIO ſaepe audivi, pueros abdomine duro, magno, denſo, ſequenti tempore citius, ocyus morbo ſemper ſubiectos eſſe; quin ipſe in noſocomio Mediolanenſi huiuſmodi puerum, ſex circiter annorum, pellagrae ſigna manifeſtiſſima praeferentem, vidi. Similem morbi impetum mulieres graviditatis, puerperii, lactationis tempore, expertae ſunt; ut, cum prodroma eiuſdem ſigna in femina lactante apparuiſſent, ipſe nondum perfe-

ctus,

ctus, poſt novum demum puerperium, lactantem, impetiginoſa eruptione, invaſit. Qui robuſtiore firmioreque corpore ſunt inſtructi, niſi haereditate morbum contraxerint, rarius ſuccumbere; qui imbecilliore facillime; mulieres frequentius viris hac corporis pravitate tentari, conſtans medicorum obſervatio eſt.

Inter cauſſas hactenus enarratas haereditaria diſpoſitio, atque inſignis corporis imbecillitas, ex prava vivendi ratione, ſummaque agricolarum miſeria derivanda, non omnem morbi aetiologiam expediunt. Sunt enim, qui haereditario vitio minime infecti, morbo, in quem primi incidunt, defunguntur. Neque regionum, quas pellagra infeſtat, inſalubritas, quorſum Mediolanenſem, finitimaſque referre poſſum, deplorandum hunc ſanitatis ſtatum apportat. A loci quidem vitio cauſſam illius aliquis petere poſſet, quae tamen, quamvis victus vitaeque rationem, qua incolae harum regionum utuntur, plurimi ſcriptores diligenter expoſuerint, certa & indubia reddi non potuit. Primam quidem morbi cauſſam ab eiuſmodi peculiari vitio repeti poſſe, facile largior. At vero nunc cum magis commune & vere endemium factum eſt malum; per vicinas adeo regiones magno augmento diffipatum, vel actioni cuidam frequentiori atrociorive, vel alii

morbificae potentiae tribuendam esse, tristi inducimur experientia. Hinc non plane supprimenda est suspicio *veneni* cuiusdam *contagiosi*, quod ab eo inde tempore, quo morbus caput suum extulit, maioraque coepit incrementa, inferre eundem videtur. Mihi quidem haec asserenti probe cognitum est, non raro in causis morborum paullo obscurioribus, ad contagia, tanquam ad occultas vires, multos confugere; unde magni nominis viri, ut contagiorum ditionem angustioribus circumscriberent limitibus, iure permoti fuere. Attamen haud vanam hoc loco esse principii cuiusdam contagiosi suspicionem, ut asseram, argumentis, experientia & ratione nitentibus, adducor. Primo enim analogia, quam pellagra sequitur, morborum cutaneorum, tum acutorum, tum chronicorum, quibus maxima ex parte contagiosi quicquam subest, hic multum valet. Exempla communissima variolarum, morbillorum, tineae, scabiei, leprae, hic adduxisse, sufficiat; in quorum classem pellagra, propter constantem utcunque impetiginem, omnino referenda est. Ad contrahendum autem contagium quaedam requiritur corporis convenientia, quam praedispositionem appellant, cum non ad omnes, eidem expositos, eadem labes manet. Sed quid sit, quod hanc praedispositionem efficiat, finire vix audebo. Namque omnes, qui de morbo hoc scripserunt,

vim contagioſam in univerſum negant. Nulla quidem morbi per concubitum, aut contactum propagati exempla exſtant, neque medicorum quiſquam, qui curandis aegrotis maximam dederunt operam, unquam morbo infectus fuit. Aptitudinem corporis, ad contagium excipiendum obſcuriſſimae eſſe originis, docet experientia, ſiquidem aliud modo ſemel hominem corripit, aliud ſub certis conditionibus, aliud petit hunc, fugit illum. Si quid coniectura aſſequi licet, aptitudinem corporis eiuſque, ut aiunt, praediſpoſitionem, in ſingulari quadam imbecillitate eius quaererem, cum corpora imbecillia, nutrimento ſufficienti deſtituta, vel triſtitia curiſque exhauſta, ad ſuſcipiendum contagium aptiſſima eſſe obſervationibus conſtet. Parum autem ſingula illa, quae de contagii cuiuſdam ſuſpicione protuli, valerent, niſi obſervatio eandem confirmare videretur, quam ulteriori indagationi relinquo. Cl. STRAMBIO (Ann. I. pag. 77.) mentionem fecit ligni fiſſoris, qui de montibus, ubi natus, Apuanis, ad plana & aperta Inſubriae loca, victus parandi cauſſa venit, vere in patriam rediturus. Is cum ſociis duobus, qui ſecum per hyemem huc venerant, pellagra, morbo ſibi & in patria ignoto, contaminatur. Bene notat cel. Auctor, incolas ſola pulte, caſeo & vino

vivere. Sed poteſt alia quaedam hunc morbum produxiſſe videri cauſſa, partim a locorum conditionibus, partim a contagionis veneno ducenda. Diverſitatem locorum morbo fovendo favere, ultimis annis, quibus malum varia, eaque diverſiſſima loca perruperat, compertum fuit. In ipſis autem hominibus fomitem morbi iam haberi, ſequenti exemplo, quod illuſtris Praeceptor me coram expoſuit, veriſimile videtur. Acceperat enim a medico oppiduli *Rivolta*, prope flumen Adda, in territorio Laudenſi (*Lodi*), ubi noſocomium viginti circiter lectorum exſtructum eſt, quod, poſtquam homo pellagra infectus, fortunae ſuae ſedem, ante decem propemodum annos, ibidem poſuerat, morbus ab illo tempore latius egerit, iamque frequentiſſimus ſit, qui antea in diſtantia aliquot horarum, in viciniis Treviglianis (*Treviglio*), tantum cognitus fuerat. Quibus exemplis, quamvis nihil certi probetur, noſtra tamen attentio magnopere excitatur, ut viam, qua pernicialis illa malignitas impetu clandeſtino incedat, modumque violentiae illius compeſcendae, tandem inveniamus. Quodſi revera contagium quoddam ſubſit, ſingularem propagationis habebit indolem, quae abdita & operta, medentium vigilantiam hactenus effugit. Quapropter ortum & progreſſum contagioſi fomitis ulterius exponere ſi vellem, nonne

opinionem pro vero venderem? Cauſſa mali initio non adeo egiſſe fortiter, at recentiori tempore vel increviſſe, vel in malum contagioſum degeneraſſe videtur. Prima quidem ſtamina vel in corpore humano nata, vel extrinſecus forte a pecoribus, quibuſcum ruſtici miſelli in ſtabulis hyemant, ad homines tranſmigrarunt.

Miretur forte aliquis, me nullam hucuſque in enarrandis cauſſis, mentionem feciſſe *Inſolationis*, cuius tamen effectus in pravitate illa cutis producenda, evidentiſſimi ſunt. Aegrotorum quidem ſors in aëre ſole carente, neque inſigniter moleſta, neque gravis eſt; at, continua ſolis in corpus actione, apoplectici tandem concidunt. Primo ergo ab intuita omnis huius mali origo radiis ſolaribus tribuenda eſſe videtur, unde FRAPOLLI ſeductus, ſolis lumen pro unica & primaria cauſſa venditat. Sed fallaciam hic ſubeſſe conſtat, quam GHERARDINI gravibus argumentis profligavit. Neque profecto primus morbi impetus, gravitas & augmentum, radiorum ſolarium vi reſpondet. Indirecta ſolis actio, vel radii minus fortiter illidentes, morbi ſenſationem adventumque, e contrario longe fortiores & directe agentes, vix quicquam incommodi contraxerunt iis, qui iiſdem, ut viatores, artifices varii ſub die laborantes, milites in itine-

ribus, expoſiti fuerunt. Praeterea malum erumpit veris initio, ſole blandiore, neque tam aſſiduo, quam aeſtate, ubi plerumque minuitur, ceſſat, auctumno interdum iterum revertitur; verni adeo ſoles, neque magis efficaces, aeſtivis, quibus iam aſſuetum aegri corpus, iudicari poſſunt. Denique fuerunt nonnulli, qui ardorem ſolis, ipſumque adeo morbum evitare cum vellent, maiorem quidem cutis defoedationem, ſymptomata vero reliqua non evitarunt, quin ingraveſcente malo, imminutaque ob cutis duritiem impetigine, ſymptomata & fortiora & funeſtiſſima exſtiterunt. Quibus omnibus, quaſdam in ipſo corpore cauſſas, morbo huic atroci pares, latere, ſatis probatur. Inſolationi tamen cum non omnis deneganda ſit vis, ea recte ſibi locum inter cauſſas occaſionales, morbo faventes, vindicat.

Quae in praeſens de cauſſis diſſerui, quamvis probabilitatis quandam habeant ſpeciem, minime tamen tam certa ſunt, ut demonſtrationis vim acc[illegible]irant. Etenim momenta adhuc reſtant, quae ex hac cauſſarum expoſitione explicanda ſint. Sic difficilius eruitur, cur agricolae rus colentes, frequentiſſime, qui domi ſe contineant, vel alii, qui in pagis vivunt, rarius, urbium incolae rariſſime adeo corripiantur, ut clariſſ. STRAMBIO in tanto aegrotorum numero, una

ſolummodo puella Mediolanenſis 24 annorum, quae nunquam urbem patriam reliquerat, occurrerit. Porro cur vere ſymptoma illud cutaneum accedat, aeſtate decreſcat, hyeme diſpareat? Reſponſio facilis & promta: videlicet colligi & elaborari per hyemem atrimoniam illam pellagroſam, quae deinde ſolis concitata ardore, ad cutim devolvitur. Cui coniecturae ſymptomata favent nervoſa, quae quamdiu impetigo adhuc rite ſuccedit, minus pernicialia ſunt; cute autem duriore & aſpera, in quam ſol agere ſatis nequit, morbus valde exaſperatur. Sic aegroti hoc anno, maxima cutis defoedatione, mox reſtituuntur; alio, minori illa, peſſime ſe habent. Nonnulli cutim inungendo vitiliginem avertere tentarunt, ſed ſubita morte occubuerunt aſphyctici. Veris quoque tempore ſymptomata nervoſa aegrotantibus loca opaca ſectantibus, adeoque quaedam morbi vernalis exacerbatio etiam ſine impetigine, imminent. Latet ergo hic aliquid periodici, quod non minus obſcurum eſt, ac aliae corporis tum ſani, tum aegroti, immutationes periodicae eſſe ſolent.

Ex cauſſis remotioribus huc uſque fuſius expoſitis, ea nunc, quae ad proximam enucleandam faciunt, deducenda ſunt. Quod quidem accurate fieri nequit, niſi diverſas aliorum opinio-

nes, de morbi huius natura antea enarremus, atque diiudicemus. Convenit enim cauſſa proxima morborum cum eorundem natura, ut ſolo concipiendi modo inter ſe differant.

DIVISIO.

In morborum diviſione haec praecipua lex ſit, ut aliquis eius in praxin uſus redundet. Quem in finem cum felix cura, cognitis cauſſarum natura & diverſitate, nitatur, longiori earundem enarrationi ne taedioſi immoremur, ſingulas, quae eodem tolli modo poſſunt, uni ſpeciei ſubiiciamus. Dolendum tamen, nos in deſcribendo morbo utroque fonte, tum certa cauſſarum cognitione, tum conveniente, ut prorſus eradicetur, medendi methodo, deſtitui. Oportet igitur ad varia illius ſtadia, quae pro minori, maiorique vehementia, diverſam recipiunt curationem, recurramus. Omiſſa nempe illa, quam alii aliorum morborum, in *Haereditarios* & *Acquiſitos*, amplexi ſunt diſtinctionem, quae nullum fere in praxi uſum habet, ordinem potius ſymptomatum, melioti fundamento huc uſque deſtituti, hic ſequamur. Ex toto morbi decurſu antea propoſito, ipſum, patet, lente, & cunctanter venire, & primo *leviorem* eſſe, cum quodam ſegnitiei, debilita-

tiſque ſenſu, & impetigine; mox *graviorem* fieri & funeſtiores iam comites ducere, melancholiam, ſtupiditatem, deliriationes interiectas; tandemque in *fortiſſimum* ultimumque gradum abire, in quo ſunt deliria furioſa, vera mania, vitae taedium, & niſi morbo quodam chronico aegri pereant, funeſto ſaepe auſu mortem ſibi conſciſcant. Non conſtantem quidem hunc ordinem, neque certam annorum ſeriem ſequitur, cum malum nunc ſubito irrepat, nunc per aliquot annos ſine ſymptomatum exacerbatione perſiſtat. Quapropter haec ipſa diviſio facile aliis, quae ad ipſam therapiam ducunt, poſtponenda erit. Quem in modum recentiſſime cl. SOLER novam Pellagrae diviſionem, a vario corporis habitu, locorumque, ubi reperitur, diverſitate, deſumtam, *Humidam* nempe, & *Siccam* propoſuit. Haec quidem regionibus ſicciori-bus, altis, ventoſis, montuoſiſque propria, corpora reddit ſicca, quaſi aduſta, verum inducit maraſmum, cutem ſoli expoſitam rigidam, rubram & aduſtam, plenam fiſſuris, rhagadibuſve, quae ſanguinem fundunt, & dolores acutos cient. Humidum vero genus, locorum paludoſorum incolis moleſtum eſt, corpora eorum pallida fiunt, inflata, oedematoſa, cachectica, venter tumidus, cutis in ſole coriacea, ſquamula albeſcente, dolente, cooperta, ut Elephantiaſin aemuletur.

Hanc quidem differentiam inter accidentalia primo intuitu referendam, cl. SOLER, propter insignem in praxi usum, multa laude effert; neque tamen scriptoribus, qui de Pellagra in Ducatu Mediolanensi tradiderunt, usitata est, neque regionis conditioni satis accommodatam equidem reperi. Etenim pellagrosi, quos ego maximam partem in locis humidioribus & paludosis permultos vidi, corpore omnes erant extenuati, macilenti praecipue si morbus iam longius processerat. Mihi itaque de morbo ditionis Mediolanensis differenti haec non tanti facienda est divisio, usum forte habitura, ubi contagium minus pernicioſum sit, aut ubi per regionis, coelique naturam, ad eandem attendi oporteat.

PROGNOSIS.

Quid tandem de periculis, quae hanc labem circumstant, de signis tum bonis, tum malis, de eiusdem exitu statuendum sit, nunc videamus. In universum quidem tristes admodum praesensiones huius mali habentur, tum remedium, quo penitus tollatur, huc usque nondum inventum sit. Interim prognosin, secundum diversa morbi stadia eiusdemque incrementa, limitari oportet. Quamdiu graviora symptomata; quam impetigo, & universalis imbecillitatis sensus haud urgent,

tam diu ſpes eſt, fore, ut aegrotus, ſi cauſſas occaſionales, labores nimios, inſolationem vitet, victuque bono & ſalutari utatur, ex morbo evadat. Exempla enim aegrotorum a cl. STRAMBIO commemorantur, qui cum cauſſas, ad morbum alendum aptas, vitarent, ipſum adeo morbum a progreſſu refraenarunt. Equidem recordor agricolae cuiuſdam, qui per viginti quinque, & quod excedit, annos, cum puer admodum ſolum patrium, pellagra tentatum, cum ſuburbio commutaſſet, praeter impetiginem vernalem, & imbecillitatem quandam, nulla unquam morbi incrementa perſenſit. Simili ratione mulieres, quae poſt primos inſultus, vitam in domiciliis ſedentariam egerunt, ne morbus plane explicetur, facere quidem, integra autem valetudo ut recuperaretur efficere minime potuerunt. Sed miſeros fortuna pleroſque finxit, quibus, cum ſine laboris moleſtia neceſſaria vitae ſubſidia parare ſibi nequeant, unicum quoque, quod ad vim morbi conpeſcendam comparatum eſt, beneficium denegatur. Sunt alii, qui per ignorantiam aut negligentiam, morbo iam multum provecto, ubi praeſervationi locus amplius nullus eſt, auxilium quaerunt; alii perverſa ſub morbi initium cura, evacuantibus fortioribus, venaeſectionibus, draſticiſque

vires, lento gradu decreſcentes, ſubito peſſundant. Nulla enim medendi ratio morbo huic magis inimica eſt, quam evacuans. Hinc maior aegrotorum numerus poſt primos inſultus, celerrimo paſſu in peiora ruens, paucis annis ſecundum morbi ſtadium aſſequitur, ex quo citiſſime ad tertium, peſſimum, properant, quippe quod funeſta maxime ſymptomata nervoſa, ubivis pertimeſcenda, ulloque haud vincenda remedio, ſecum coniuncta habet. Nec aetas, nec ſexus, morbum admodum immutant. Etenim quo teneriore aetate aegroti invaduntur, eo minor de eorum ſalute ſpes; quamvis & alii iam adultiores, diligenti regimine morbi, vim quicquam fregerint. Omnium autem conſenſu feminae facilius, quam viri, plerumque menſtruorum inprimis tempore, ſuccumbunt, viri tamen ſemel infecti, eadem, ac mulieres, patiuntur. A temperamento, anni tempeſtate, locorum diverſitate quaedam oriuntur differentiae. Sic loca montoſa & ſicca, qui inhabitant, ut & hyeme ſicca, ſerena, citius evolvi labem, GHERARDINI aſſerit. Gravitas morbi non metienda ex impetigine. Leviori cutis affectione ſymptomata interna admodum urgent, & in genere ex morbi patet hiſtoria, quod decreſcente cum annis vitiligine, nervoſa ſympto-

mata propter cutis duritiem increſcant (*). Delirium ſi ſequantur intumeſcentia, aut gangraena, ſigna ſunt peſſima. Funeſtiſſimae morbi complicationes ſunt, ad quas debellandas vitae vires imminui oportet; quam tamen methodum pellagra minime admittit. Neque minus nimiae corporis agitationes, inprimis amplexus venerei, malum inſigniter augent. Ad quos quidem, ut ſingulari invitantur ſalacitate, ita plerumque ſucceſſu temporis impotentes evadunt. Chronico plerumque vitio morbus tandem finitur. Sunt quidem nonnulli, qui febre nervoſa acuta, cum deliriis vehementibus inſultibus maniacis cito ſuccumbunt; at longe plures morbo diuturno, viribuſque ſenſim exhauſtis, pereunt. Saepiſſime diarrhoea accedit, aquoſam emittens materiam; quae, quemadmodum per ſe iam fatalis eſt, ſic varias inſuper hydropis ſpecies, anaſarcam vel aſcitem, quin hydrothoracem, pertinaces, incurabileſque inducit. Similes aquae

(*) Ill. LEONRARDI mecum benevole communicavit methodum, qua in impetiginibus pertinacioribus felici ſucceſſu uſus eſt. Praeter fomenta ex vino calido, extrinſecus repetita, partem tela cerata ſtudioſe coopertam habet; interne in corporibus ſiccioribus diluentia; in humidis reſolventia, ſaponacea, gummata, adhibet. Forte & in pellagra huius generis fomenta commendanda eſſent, ut tranſpiratio iuvetur?

collectiones praeternaturales, contrario quandoque vitio, obſtructionibus haud reſerandis, nituntur. Utrinque idem tamen mali exitus. Inſtantis ex pellagra mortis pleraque ſigna reliquis quoque morbis communia ſunt, ut pulſus intermittens, fornicans, convulſiones varii generis, aliaque hic uberius non commemoranda.

NATURA.

Expoſitis ſic Pellagrae decurſu, ſymptomatum grege, cauſſis, diviſione inde formanda, & prognoſi, tandem quaeſtio, quid de eiuſdem natura iudicandum ſit, merito movetur. Difficile ſane officium noſologi, verum morbi characterem atque naturam per quaedam ſigna conſtantia, ex omni ſymptomatum cohorte delecta, decernere, cum morbi, quales animo concipi poſſunt, rariſſime puri, & ſimplices, ſed complicati atque inter ſe confuſi incedant, magnaque obſervandi diligentia, magnoque ingenii acumine ad neceſſaria ab iis, quae accidunt, diſtinguenda, opus ſit. Haec morbos diiudicandi difficultas, eo etiam augetur, quod non raro praeconceptae quaedam opiniones animum vel maxime attenti ita occupent, ut rationem atque cauſſam rei, mente conceptam, vere obſervaſſe ſibi perſuadeat. Idem quoque pellagrae accidit,

cui medici, diverſa illius forma ſeducti, diverſa indiderunt nomina. ODOARDI, novam ſcorbuti ſpeciem, Alpinam nempe; VIDEMAR hypochondriacis affectionibus accenſendam; & DALLA BONA elephantiaſin Graecorum & lepram Arabum eſſe, iudicant; in primis poſtremus magnam ſcorbutum inter & pellagram offendiſſe analogiam ſibi viſus eſt. Non eſt huius loci longa comparatione dilucidandis his diſcriminibus inhaerere, id, quod eo minorem nobis operam faceſſeret, quo maiori diligentia ab aliis hic locus ſatis iam tractatus eſt. Quaedam ſolummodo momenta ad ſpeciem morbi recte informandam attuliſſe ſufficiat.

Quod primo ad ODOARDUM attinet, qui, cum ignotum, nec in libris medicis hucuſque deſcriptum obſervaſſet morbum, in PUIATI partes, pellagram propter ſimilitudinem pro *ſcorburo* Alpino habentis, tranſit. Quam ſententiam recentiſſime cl. DALLA BONA in libro ſuo ulterius comprobare ſtuduit. Quaedam omnino inter utrumque morbum intercedere ſimilitudinis momenta, quibus uterque in hanc ſententiam deductus fuerit, facile intelligitur. Num vero tanti ſint ponderis, ut pellagra pro ſcorbuti ſpecie haberi poſſit, noſtrum iam eſt diſquirere. Primo quidem ſingularis illa cutis affectio, pellagrae, cuius characterem adeo evi-

dentem conſtituit, propria eſt, multumque diſtat ab illa ſcorbutica cutis immutatione. In hac enim maculas latas, contuſionem referentes, per omnem corporis ſuperficiem ſparſas, nulli temporis periodo adſtrictas, planas, ſine phlogoſeos ſignis, ſine veſtigiis furfuraceis cernis, quae omnia ſub morbo invaleſcente in conſpectum veniunt. In pellagrae contrario primis ſtatim annis cutis apparet deſquamata, in progreſſu autem abſque ullo amplius incommodo dureſcit. Alterum pellagrae ſymptoma nervorum imbecillitatem reſpiciens, utrique morbo commune. Haec autem dira omnium morborum, praecipue chronicorum comes, innumeras admittit diverſitates, quas ſentire quidem attentus obſervator, ſed verbis explicare ſatis non valet. Pedum vacillatio gravitaſque, & ſcorbuticis & pellagroſis, aeque moleſta. Idem de doloribus varii generis, vagis, dicendum, qui praeter nervorum affectionem nihil prorſus indicant. Attamen turbae, quibus ſenſorium commune in utriſque aegrotis ſubiicitur, haud eiuſdem generis ſunt. Rara ſcorbuticorum dementia, & mania, triſtitia potius puſillanimis, de ſtatu deplorando conqueſta; pellagroſos contra non raro furibundos videmus, & frequentiſſime ſtupidos. Pathognomonicon vero ſcorbuti ſignum,

teſte

teſte LINDIO, primario illius interprete, in gingivarum tumore, rubore, fungoſitate, ſtomacace, dentium vacillatione, nigritie, carie, lapſu cernitur; quae quidem omnia in pellagroſis obſervantur, haud conſtanter tamen, ut morbi characterem efficiant; quin imo complicitum ſic malum putarem, quod ſcorbutica labes non adeo infrequens his regionibus ſit. Habitus ſcorbuticorum immutatus, cutis palleſcit, flaveſcit; pellagroſorum color naturalis vix mutatus. Nihil de antiſcorbuticorum remediorum in pellagra inefficacia addam, cum plures morbi ſimilibus prorſus ſymptomatibus incedentes, in praxi medica occurrunt, qui ob varias, unde orti ſunt, cauſſas, variam quoque curam exigunt. Exitus utriuſque mali fere idem, per diarrhoeas, hydropes, paralyſes, & ſimiles, pleriſque malis chronicis communes, eventus. — Iiſdem, quibus haec de ſcorbuti & pellagrae ſimilitudine, opinio, altera quoque de *hypochondriaca affectione* ſubiecta eſt, dubiis. Nullum fere morbum tam diverſa prodire forma, tantaque arti noſtrae faceſſere negotia, quam hypochondriaſin & hyſteriſmum, unanimis medicorum conſenſus eſt. Difficulter ergo verus ipſius character, niſi ad primum harum turbarum fontem recurreris, erui poteſt. In utroque

quidem morbo ſymptomata nervoſa praecipue conſpicua, ad eandem mali ſpeciem conſtituendam, haud ſufficiunt. Cl. VIDEMAR ſtrenuus huius ſententiae defenſor, ad primas vias, ad atram bilem, ad obſtructiones abdominales, tanquam ad hypochondriaſis fontes refugit. Neque exempla ſectionum fuiſſe, negari poteſt, ubi eiuſmodi ſigna in pellagroſorum cadaveribus reperta fuerunt; ſed dubium oritur, an eadem, pro effectu magis, quam pro cauſſa morbi haberi debeant. Nam in multis inteſtina abdominis, ut & lienes, frequentius in illis regionibus obſtructi, maximam partem ſana fuerunt, a naturali conſtitutione haud recedentia. Accederet quidem, quod inter ruſticos harum regionum tenſiones abdominales, flatulentiae, anxietates & alia hypochondriaſis criteria, valde frequentia ſint; nullum vero certum argumentum praebent, cur ad illam pellagra referatur. Secundum recentiorum placita hypochondriaſis cauſſa rectius cuidam nervorum, quam primarum viarum vitio, tribuenda eſt. Itaque, ſi inter utrumque morbum, hypochondriaſin atque pellagram, comparationem inſtituere aliquis velit, ad conſtantia, quae veram morbi naturam conſtituunt, neutiquam vero ad variabilia ſigna confugiat, oportet. In pellagroſis, ſi impetigo; tum quoad temporis, tum partium affectarum,

tum decurſus tam ſingularis ordinem, accuratius conſideratur, accidentalibus illis cutis affectionibus, quas hypochondriaci patiuntur, plane aequiparari nequit. Quamvis enim interdum contingat, ut hi morbo cuidam cutaneo ſubiiciantur; is tamen ſine ordine ullo, ſine regula, ſubſequitur. Symptomata etiam nervoſa ſimilia offerunt diſcrimina; qui pellagra laborant, ſtupidi ſunt, delirantes, non raro furioſi; qui hypochondriaſi, triſtes, melancholici, uni rei intenti, & non raro, ſi grata occurrant, ingenioſi; nunc in triſtitia, nunc in gaudio modum excedentes. Quod denique ad medicamenta attinet, quae hypochondriaſin infirmant, pellagroſis parum proſunt. — Tertia iam, qua pellagra ſtatuitur, ad *elephantiaſin Graecorum* pertinere, opinio reſtat, pancis nunc examinanda. Ipſa cutis affectio, quam antea diligentius expoſui, multum in pellagra ab elephantiaſi differt. In hac omne defoedatur corpus, praecipue facies, ut vultus fiat horridus, ſumma cutis inaequaliter craſſa, dura, crebri tumores, tubercula, ulcera foetida; in pellagra facies quaſi immunis a labe, ſolumque naſi apicem, labiaque oris parum deſquamata, habes. Capilli in elephantiaſi incaneſcunt & decidunt, in pellagra neutrum accidit. In illa malum cutis,

quando morbus increſcit, vehementer augetur, aſpectu tandem horridiſſimo; contra in pellagra creſcente morbo malum cutis inſigniter imminuitur. Si ad nervorum laeſionem reſpicis in elephantiaſi, ignominioſam, ab hominum conſortio alienam triſtitiam habes; in pellagra, placidam, conſtantem, maxime, ubi delirii, ſtupiditatiſque gradus aucti fuerint. Quae denique utrique morbo ſigna conveniunt, videlicet digeſtio facilis, vox rauca, balba quaſi de nare, oculorum interdum lacrymatio, ea potius ad accidentalia pertinent, & praeter ea, alia adhuc differentiae momenta ex hominum pellagra laborantium genere, ex ſalacitate, urina craſſa, diplopia, ſudore ſingulari, aeque ac ex inaequali cutis vitio, ex ſymptomatum nervoſorum in utroque malo diſcrimine, peti poſſent. — Morbus Aſturienſis THIERRI, quamvis plura cum pellagra communia habeat, in multis tamen ab eadem differt, magiſque ad lepram Graecorum accedere videtur. Cruſtae enim illae, ut in manibus & pedibus conſpicuae ſunt, ita nec reliquis corporis partibus, capiti, abdomini, parcunt, inſigniter dolent, ſummum foetorem ſpargunt; veſtigia ipſorum in cute longe ſunt manifeſtiora, cutis glabra, ſplendens, pilis privata, profunda apparet; augetur haec impe-

tigo quovis anno. Tremor capitis, thoracis continuus, vigiliae, auctus caloris & frigoris ſenſus, animus puſillanimis; maiori morbi gradu, ſenſus externi, praecipue tactus, pereunt, corpus cruſtis, ulceribus faſtidioſis, defoedatur, vera leprae phaenomena evolvuntur. Exitus huic malo cum pellagra communis, morbi plerumque chronici accedunt, hydrops, phthiſes, mania.

Infirmatis ergo aliorum de pellagra ſententiis, noſtra nunc erit ſubiicienda; ex qua ſatis patebit, illam, quemadmodum eius pathologia antea expoſita docet, peculiarem quendam morbum conſtituere. Negari quidem non poteſt, multam pellagrae cum aliis morbis cognitis eſſe ſimilitudinem; quae vero non tantum valet, ut pro iiſdem prorſus haberi poſſint. Itaque pellagrae nomen, non temere olim conditum, iure retineamus, eique aptum inter morbos, ordine legitimo diſtinctos, locum aſſignemus. In quo quidem opere, maxime ſymptomata potiora, conſtantioraque ſequamur, debilitatem nempe univerſi corporis, impetiginem partium ſoli expoſitarum vernalem, ſymptomatum nervoſorum familiam, ſtupiditatem, deliria, inſultus maniacos, reliqua. Certo autem haec inter ſe iuncta ordine ſunt, ex quo, qua ratione alterum ſymptoma ex altero cognoſcatur, per-

ſpici poſſit. Fuerunt, qui ob inſignem nervoſorum ſymptomatum apparatum pellagram morbum abſolute nervoſum appellarunt; in quorum partes, praeter ſupra iam laudatos, VIDEMARIUM, SOLERUM, inclinare quoque cl. VAN DEN HEUVELL (*) videtur. Hi enim ſyſtema primo nervoſum affectum eſſe, deinde acrimoniam, cutim deſoedantem generari, tandem morbo progrediente nervos vehementius pati, ſtatuunt. Alii (**) vero pellagrae, quam cachexiis ſubiiciunt, locum inter morbos cutaneos aſſignarunt; ut adeo cauſſa eius proxima ex acrimonia conſtaret, quae quamdiu cutim habet perviam, ſanitatem minus, ac ſequenti tempore, laedit, quo poris in cute per fiſſuras, per duritiem ex inflammationibus repetitis contractam, occluſis, materia ad ſyſtema nervoſum revertitur, ibique

---

(*) Tentamen noſologicum ſiſtens morborum, a vitio vis vitalis diviſionem, &c. Lugd. Batav. 1787. 8. pag. 415. ſeqq.

(**) Legendi hic ſunt inter noſtros Auctores, qui huius morbi, quantum ipſis ex aliorum ſcriptis innotuerat, mentionem fecerunt. In primis exper. CHR. ERH. KAPP in ſuis animadverſionibus ad CULLENS *Anfangsgr. der practiſchen Arzneykunſt 2te Aufg.* B. IV. Leipz. 1789. pag. 505. ſeqq. — Exper. I. CHR. GUIL. IUNKERI Conſpectus rerum, quae in pathologia medicinali pertractantur, Vol. II. Hal. 1790. 8. pag. 180. ſeqq. — Ill. HENSLER in l. c. pag. 385. ſeqq.

plura eaque funeſtiſſima excitat mala. Quae quidem omnium maxime probabilior ſententia, ad morbi decurſum & ſymptomata potiora explicanda inſigniter apta eſt. Natura quidem & huius & illarum, quae reliquorum cutis morborum cauſſam praebent, acrimoniarum nos latet. De contagioſae cuiuſdam materiae efficacia movere quidem, haud tamen alere volui ſuſpicionem.

Ex quibus omnibus ſatis hactenus diſputatis ſequitur, pellagram commode per *Eryſipelas periodicum*, *nervoſum*, *chronicum* explicari poſſe. Impetiginem enim pellagroſam verum eryſipelas modo ſimplex, modo puſtuloſum, modo phlyctaenodes effigere, ex ſymptomatibus ſuo loco expoſitis, apparet. Inflammatio enim in ſumma cute, cum tenſione, ſplendore, rubore, dolore, ardore obſervatur. Frequentes quidem eryſipelatum ſpecies a cauſſis internis deducendae ſunt; neque minor tamen illorum quoque numerus, qui ab externis pendent, ut maculae rubrae poſt combuſtiones, perniones; intertrigo, aliaque. Febrem in eryſipelate ut plurimum coniunctam requiri, aliquis inferre poſſet, cuius tamen in pellagra pauca adſunt veſtigia, niſi quis pulſum illum lentum, debilem, vitiliginis comitem, pro febris nervoſae levioris ſigno ha-

beat. Neque rara ſunt Eryſipelatum periodicorum exempla; ut quaedam mulieres, menſtruis quicquam irregularibus, eiuſmodi incommodis eryſipelatoſis vexantur. Aliae, iracundae in primis, poſt iram, ſimili malo in quadam corporis parte, ubi ſedem ſuam fixiſſe videtur, ſicut in genis, laborant. Similia phaenomena ex quadam idioſyncraſia, poſt cancrorum cibum, vel ſumtis ipſorum lapidibus, eveniunt. Nervoſa denique ſymptomata, in pellagra praecipue timenda, per omnem eryſipelatum curſum, maximam requirunt attentionem, cum poſt levem aliquem errorem hoc malum facile revertatur, peſſimaque nervoſi ſyſtematis affecti ſigna prodat. Quod quidem praecipue de capitis eryſipelate valebit. Quae quidem omnia ſimilitudinis momenta, ignoti morbi naturam, cogniti nomine explicare, egregie inſerviunt.

PROGRAMMA,

PUERPERAE, DE INFANTICIDIO SUSPECTAE,
DEFENSIONEM EXHIBENS,

QUOD

Die 3.ª mensis Maii, anni 1793. in
R. C. Ticinensi Archigymnasio

RECITAVIT

IOANNES PETRUS FRANK

Sac Caes. & Reg. Maiest. a Consiliis Magistratus Politici & Oeconom. Mediolan., facultatis Medicae ac Nosocomiorum per Insubriam Austr. Praeses, Xenodochii Papiens. ad S. Matth. Moderator, Therapiae Spec., & Clinices in Ticin. Acad. Professor P. & O. Academiar. Reg. Scientiar. Goetting., Mantuanae, Elect. Mogunt., tum Societ. Patriot. Mediol. & Medic. Helvet. Sodalis.

QUanta ſit Medicinae, ac Chirurgiae in *foro* verſantis, & iudicis circa res naturales quaeſtionibus ſatisfacientis nobilitas, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI! hoc, niſi iam ipſius, quam haec ſcientia pertractat, rerum auctoritas loqueretur, vel ex ſola cognitionum hoc ad opus neceſſariarum extenſione, & ex ſumma iudicii his in caſibus ferendi difficultate, ſat clare appareret. Haec ſcilicet medicae pars ampla ſcientiae, quam TU IPSE, RECTOR MAGNIFICE, cum tanto nominis TUI ſplendore, & cum tanta ſtudioſae iuventutis utilitate profiteris, non iuſtitiae modo brachium in civium ſecuritate curanda, & in violentis aggreſſionibus puniendis dirigit; ſed & pro conſervandis non minus, quam augendis civibus leges proponit, paternas Magiſtratus circa publicam ſalutem curas conſilio ſecundat, ac ſaepe primum innocentiae a

ſceleratis hominibus vexatae fulcrum conſtituit. Cum vero ipſa Civium vita honorque non raro iſtius ab ore pendeant ſcientiae: intereſt certe, ne in tam arduis ſimul ac tam difficilis iudicii rebus animo leviori incedamus; nec inutilis, aut errorum, qui a doctis caeteroquin Viris hoc in opere nonnunquam committuntur, inveſtigatio; aut eorum, quae hominum, delicti non perpetrati accuſatorum, vitam interdum ſalvare queant, expoſitio videbitur.

Frequens in foro, de crimine, quod *infanticidii* vocant, abſolvenda medicis proponitur quaeſtio. In delicti tam enormis cauſſas alibi ex profeſſo inquiſivi (*); nunc unicum matris adulterinae, de propriae prolis internecione ſuſpectae, exemplum, atque tam docti medici Doctoris *Bierenſtielii*, Urbis *Bruchſalienſis* quondam *Phyſici* ſeu medici ſtipendiarii, *reſponſum* aut *viſum*, ut aiunt & *repertum*, quam proprium hac ſuper materia ante decem hos annos exhibitum iudicium exponam. Sequentem vero de infantis, a partu puellae clandeſtino, reperto cadavere deſcriptionem Magiſtratui hic Medicus communicaverat.

(*) Syſtem einer Vollſtaendigen Mediciniſchen Polizey II. B.

„ Examinato infantis vix utero excluſae
„ cadavere, hoc ipſum, longitudine, uncias de-
„ cem & octo ſuperare, atque unciarum ſexa-
„ ginta duarum pondere circumſcribi, nec ullo
„ ad ſuperficiem vel integumenta violentiae aut
„ laeſionis veſtigio ſignari conſpexi. Labia ge-
„ nitalium minora, ac anum quodammodo tu-
„ mere, & ex hoc ultimo, quem circulus li-
„ vidus circumdat, proprium proli maturae
„ meconium vel ſponte effluere obſervo. Color
„ corporis univerſi, nec plantis pedum, nec
„ volis manuum exceptis, eſt albus. Ungues
„ digitorum ſingulorum debita conſtructi ſunt
„ firmitate. Modo crura, & externa humero-
„ rum ſuperficies lanugine obteguntur: quae,
„ abſterſo cum aqua tepida tenaci muco, in
„ meliorem aſpectum ſurgebat. Capilli obſcuri
„ coloris, propriam aetati foetus maturi longi-
„ tudinem, ac denſitatem oſtendunt. Supercilia
„ ciliaque non deſunt. *Wachendorfii* membra-
„ na, quae immaturae prolis pupillam obducit,
„ nullum ſui veſtigium relinquit. Partes au-
„ rium externarum, quas cartilaginoſas eſſe
„ oportet, firmitatem conſuetam oſtendunt.
„ Tam oris, quam narium, partiumque alia-
„ rum habitus, de perfecta huius foetus matu-
„ ritate teſtantur. Funiculi umbilicalis cum ab-

„ domine cohaerentis portio integra & ſana,
„ ad uncias decem & quatuor extenſa, ad lo-
„ cum factae ſeparationis lacerationem, contu-
„ ſionem, ac ſuggillationem manifeſtat. Ut
„ huius livoris naturam pernoſcerem, cellula-
„ rem funiculi telam exploravi; ſed nil ſan-
„ guinis in eandem effuſi inveniens; colorem
„ lividum a cruore coagulato in ipſis funiculi
„ vaſis ſtagnante pendere intellexi “.

„ Sub diligenti capitis ad externam ſuper-
„ ficiem examine, hanc undique tumere, atque
„ tenſa eſſe cranii integumenta obſervo. Adno-
„ tari meretur, integram foetus faciem, prae-
„ cipue frontem, aures, iugulum, uſque ad tho-
„ racis ipſius principium, plus minus a colore
„ liveſcente, ac ſubrubro obduci. Oſſa cranii
„ figuram, poſitionem, magnitudinem natura-
„ lem oſtendunt. Nulla in oſſibus parietalibus,
„ nulla ad fontanellam, ut vocant, poſterio-
„ rem, ſeu occipitis, laeſio, tum ad integu-
„ menta, tum in oſſibus comparet “.

„ Nunc thoracis cavum attentius aperio:
„ atque ſub cartilaginum coſtarum ſectione pul-
„ mones quidem his ipſis contiguos, ſed hinc
„ inde, praecipue verſus dorſum, diſtantes re-
„ perio. Pulmonum color cinnabari aequalis,
„ intermediis hinc illinc punctis ſubcoeruleis.

„ Thymus ad cordis uſque baſin extenditur;
„ ac duarum cum dimidia unciarum ſpatium
„ occupare videtur. Cor ipſum poſitionem na-
„ turalem in pericardio, aquae debita quanti-
„ tate repleto, manifeſtat. Superficies huius
„ viſceris nil morboſi oſtendit; venae corona-
„ riae a ſanguine copioſo diſtenduntur. Venae
„ cavae, quo loco confluunt, & ad dextrum
„ cordis atrium, ad pollicis latitudinem a
„ cruore extenſae ſunt; & a tanta dilatatione
„ ipſius forma auriculae deletur. Siniſtrum quo-
„ que cordis atrium ad nucis iuglandis magni-
„ tudinem diſtracta eſt. Cruor in ſiniſtro cor-
„ dis ventriculo nullus; in dextro vero mul-
„ tus, atque congrumatus haeret. Foramen
„ ovale iam tenuiſſima membrana obtectum
„ eſt; canalis vero arterioſus apertus detegitur.
„ Sinus pulmonalis a ſanguine copioſo praeter
„ modum ac undique turget; bronchiorum vero
„ conſtitutio a naturali non abludit “.

„ Ne vero cruor in vaſis cranii contentus
„ per immaturam pulmonis inciſionem reflue-
„ ret, atque illorum ſic habitus & poſitio mu-
„ tarentur: intactis thoracis viſceribus, mox
„ ad capitis ſectionem perveni. Separatis cra-
„ nii tegumentis, nec ad iſta, nec ad ipſa
„ calvariae oſſa, violentiae praegreſſae compa-

„ rent veſtigia. Interim ad angulum oſſis breg-
„ matis dextri poſteriorem ac ſuperiorem, plura
„ ſuggillationem ac validam contuſionem te-
„ ſtantur loca: quorum prima & maiora duo,
„ linearum quatuor, altera trium, quinque vero
„ alia, unius vel duarum linearum diametrum
„ agnoſcunt; quin ulla ſuggillationis nota in
„ capillata capitis parte exterius compareat ".

„ Inſtituta cranii a fontanella anteriori ſe-
„ ctione, mox ſinus falciformis a ſanguine flui-
„ do repletus conſpicitur. Detracta calvaria,
„ vaſa ſingula, quae per cerebri anfractus &
„ corticalem ſubſtantiam decurrunt, a ſangui-
„ ne cinnabaris colorem referente copioſe re-
„ pleta, quaſi cerebri ſubſtantiam obvelare cer-
„ nuntur: qua ſubſtantia, vel diſſecta, vel le-
„ viter compreſſa, liquor ſubflavus ex eadem
„ effluxit. In apertis cerebri ventriculis latera-
„ libus, parva ſubcruenti & aquoſi liquoris
„ portio, — in tertio vero ventriculo, ſan-
„ guinis coagulati grumulus ad piſi magnitudi-
„ nem detecta ſunt. Eadem vaſorum cerebelli,
„ quam de cerebro iam diximus, conſtitutio
„ obſervatur. Aperto oris cavo, violentiae huic
„ viae illatae ſignum non comparet. Venae
„ iugulares a ſanguine valdopere diſtentae ſunt.
„ Pulmones una cum corde e thorace exemti,

„ ac vaſi aqua tepida repleto immiſſi, ſuperfi-
„ ciem iſtius petebant, ac nequidem a cordis,
„ fundum verſus deſcendentis, pondere demerſi,
„ cor ipſum potius a profundiori deſcenſu arce-
„ bant “.

„ Aperto in longum oeſophago, quo loco
„ hic canalis per diaphragma in abdomen de-
„ ſcendit, corpus oſſeum & quaſi lapideum
„ in eodem repertum atque in *actis* depoſi-
„ tum fuit “.

„ In abdominis cavo, mox hepar, ut hac
„ in aetate ſolet, magnum viſui ſe obtulit,
„ nec a forma naturali comparuit diverſum.
„ Pauca bilis, quae mellis deſpumati conſiſten-
„ tiam referebat, in veſicula reperta eſt. In-
„ teſtina tenuia a ſanis non aberrabant; colon
„ inteſtinum a contento meconio profunde gri-
„ ſeum colorem uſque ad recti inteſtini confi-
„ nia ſervabat. Apertis ventriculo ac inteſti-
„ nis, in illo, humor coloris cinerei, ſyrupi
„ conſiſtentiam exhibens reperiebatur: in quo
„ plures, corpori in oeſophago reperto, quoad
„ colorem, ſimiles, ſed ſolutae molleſque par-
„ ticulae continebantur. Superficies ventriculi
„ ac inteſtinorum interna perfecte ſana erat; in
„ tenuibus inteſtinis humor flavus, gelatinoſus,
„ in craſſis vero deſcripta iam materies haere-

„ bant. Vesica urinalis, renes, naturaliter se
„ habebant; omentum tenuissimum umbilico
„ profundius non descendebat “.

„ Examinata quoque fuit placenta, atque
„ in statu suo naturali & cum vasis sanguine
„ adhuc satis turgidis reperta est. Altera huic
„ adhaerebat funiculi umbilicalis portio ad qua-
„ tuor circiter uncias extensa, ad finem suum
„ contusa & fibrosa “.

„ Nec minus lintea sub partu ac post
„ istum puerperae supposita examini submissa
„ fuerunt: nec maiorem sanguinis quantitatem,
„ quam quae sub partu naturali ac felici amit-
„ titur, continere sunt visa “.

„ Cum igitur ex historia sectionis compa-
„ reat, prolem, de qua agitur, partu praema-
„ turo non fuisse excluſam; — cum partus ab-
„ soluti periodus cum tempore, quo rem cum
„ viro se habuisse fatetur puerpera, conspiret;
„ — cum foetus caput tumere, atque per iu-
„ gulum, usque ad thoracis initium, livescere
„ observetur; — cum vasa cerebri cruore tur-
„ geant ac ipsa substantia medullaris vel levi-
„ ter compressa, sanguinolentum humorem tran-
„ sudet; — cum & sinus falciformis, & venae
„ iugulares, & venae cavae, & cordis atria,
„ ac demum sinus pulmonalis a cruore distenta

„ ſint; — cum a pulmonibus cavitas pectoris
„ repleatur, atque illud ipſum viſcus & ſan-
„ guine abundet, & de ſuſcepto iam aere te-
„ ſtetur; — cum foramen rotundum, quod in
„ foetu uterino ſanguinis circulationem coadiu-
„ vat, a tenui iam membrana obveletur; —
„ cum pulmones aquae immiſſi, ad iſtius ſu-
„ perficiem mox aſſurgere, natare, atque non
„ modo a cordis pondere ad profunda non de-
„ trahi, ſed cor ipſum, ne ad fundum penitus
„ deſcendat, impedire obſerventur; — cum
„ tam meconium ſua ſponte per anum fluat,
„ quam veſica lotio deſtituta ſit, quin haec
„ ipſa excretio a viſcerum abdominalium vitio
„ proveniat, atque ſic potius a pectoris dilata-
„ tione & facta per diaphragmatis deſcenſum
„ compreſſione, inteſtinorum ac veſicae evacua-
„ tio explicanda ſit; — cum haec ipſa com-
„ preſſio non aliter, quam ab aeris in pulmo-
„ nem tracti atque thoracem ad inferiora dila-
„ tantis, effectu contingere queat “;

„ Hinc ſequitur, *foetum*, de quo agitur
„ (quamvis a matre celeriter ac unico ad par-
„ tum nixu excluſus, ac pedibus primum ex
„ utero prodiiſſe dicatur) *poſt partum adhuc*
„ *vixiſſe*. Qua interim ratione vitam hic foe-
„ tus amiſerit: hoc aliter quidem cum funda-

„ mento determinari non poteſt; quamvis *ma-*
„ *thematica quaſi certitudine*, *infantem ex*
„ *ſuffocatione periiſſe*, afferendum ſit “.

Haec igitur Medici publici, de caſu vix expoſito, opinio, cum de poena capitis, *infanticidii* delicto in *Spirenſi* Provincia impoſita, tractaretur, inſimul cum *Actis* ſeu libro inquiſitionis, vel *protocollo*, ut vocant, iuſſu Principis, ut & meum de re tam gravi iudicium exponerem, mihi communicata eſt. Quod tunc a me *reſponſum* ſuper his datum eſt, in ſequentibus conſiſtit.

„ Quae iuſſu Celſiſſimi Principis ab Inclyto Eiuſdem Regimine die 27. Iunii anni 1783. mihi tranſmiſſae ſunt cauſſae iudiciales puncto infanticidii contra *Apolloniam Selzer Wieſethalienſem* directae, eas attento animo perlegi, atque meum ſuper iſtis iudicium pro officii ratione fideliter communico. Quae vero potiſſimum a me dilucidari iubentur, ſunt ea, quae ſub ipſo partus opere, & quae ab eodem vix abſoluto contigerunt: ut quorum natura ex interrogationibus atque reſponſis accuſatae *Apolloniae* pag. 114. 121. 122. 179. eruenda eſt. Altera, quae mihi proponitur, quaeſtio eſt: „ an ſcilicet poſſibile eſſe dici queat, hanc ipſam puellam, ſub indicata rerum conditione,

atque ſub foetus poſitione perverſa, vel ſolam atque ſine ullo hominis alterius auxilio, tam brevi, quam ipſa quidem aſſerit, temporis ſpatio, partum abſolviſſe? Tertia demum difficultas verſatur circa corpus peregrinum, oſſeum, vel lapideum, in oeſophago repertum, atque circa alia quaedam obiecta; in quorum naturam, ut maiori cum fundamento deſcendam, opus eſt, ut praecipua, & quae ad formandum hac ſuper re iudicium potiſſime contribuunt, momenta ex ipſa accuſatae puerperae hiſtoria depromam “.

„ Haec ſcilicet puella, annorum 27. die undecima Maii currentis anni, hora ſeptima veſpertina, primum, ut ſupponere fas eſt (Act. pag. 68.) partum, *ſola*, vel ſine alterius auxilio, ianuis clauſis, abſolvit, ac maturam filiam, ſed vita, & mater quidem aſſerit, deſtitutam, enititur. Contendit vero haec puerpera (nec aſſertioni *in Actis* quidquam reluctatur) ſe toto graviditatis tempore nec minimum ſalutis incommodum perſenſiſſe; cibos quoſcumque ut pridem appetiiſſe; conſuetos labores conſtanter abſolviſſe; nec aliud conceptionis indicium, niſi menſtruorum ceſſationem, quam potius ex choreis, ut morboſam, derivaſſet, habuiſſe. Nec enim ubera magis quam pridem, nec abdomen,

ſi laterales modo regiones excipiat, ſibi tumere obſervavit. Motus, in abdomine *debiliores*, — & dolores, quaſi colicos, hinc inde recurrentes, ex flatibus derivavit: donec menſis unius circiter ante partum tempore, prolis in utero latentis agitationes evidentius perceperit. Interim licet tunc quidem de graviditate non amplius dubitaſſet; ob exiguam tamen abdominis intumeſcentiam, non a prima fluxus menſtrui ceſſatione, ſed a poſteriori cum viro commercio conceptionis initium deduxit (p. 83. 86. 90. 91. 103.). Tribus vero aut quatuor ante partum diebus, ſe ex ſcala in humum eſſe delapſam aſſerit: quem poſt caſum & ſanguinem ex vagina paucum amiſit, & per horae quadrantem dolores in abdomine perſenſit. Hoc a tempore nec motum prolis, nec tormina, donec partus labores accederent, haec ultima, experta eſt. Hora ſcilicet ſexta circiter cum dimidia veſpertina a tam acerbis ad lumbos doloribus ſe affectam fuiſſe monet: ut ſe, morti quaſi proximam, tranſverſim ſuper lectulum conieceriſ. Ceſſarunt mox dolores: ſurrexit miſera; ſed redierunt mox, iterumque redierunt tormenta: ut tandem ſe veſtibus ſpoliaverit; hoc ipſo vero tempore prae doloribus in terram ſuper genua, proprio praecinctorio ſuffulta,

proſtrata fuerit. Hac in corporis poſitione, & genubus quaſi inſidens, lecti fulcrum ambabus manibus arripuit, & ad nixus edendos coacta, huic urgenti neceſſitati ſatisfecit. Mox aquarum copia ſat magna, *praeter omnem opinionem propriam*, ex genitalibus prorupiſſe, novumque nixum ſuperveniſſe afferit: ſub quo, ut credebat, ambo prolis pedes (p. 132.) ſimul ex vagina prodierint, & dimidia pars corporis infantilis, ut cuius dorſum ſuperiora verſus, pedum vero digiti verſus humum directi ſibi videbantur, comparuerint “.

„ Hoc ipſo vero partus inſtantis momento, heri, ianuam pulſantis, vocem primum percepit (p. 114.); ſed illam aperire, quod proles nunc ad caput uſque inflaret, non potuit. Pendentem vero ex genitalibus prolem, ne in terram forte rueret, nunc manibus amplexa eſt: donec poſt *duos*, *treſve nixus* (p. 132.) foetus ipſe, & mox ab iſto, placenta, excluderetur: abſoluto ſic, in horae circiter dimidio, partus opere. Aſt vitam filiola non manifeſtavit; ſed caput retro inter humeros, niſi manibus ſuffultum, pependit. Magnus a morte prolis terror puerperam invaſit; atque cum aquam in eiuſdem ore haerere crediderit: aerem ſemel, neque cum impetu, inflavit. Cum hoc

a tentamine vitam redire non vidiſſet: prolis cadaver praecinctorio involutum, ad extremitatem lectuli inferiorem depoſuit. Vix octava pars horae hoc ad opus ſuffecit: quo ſcilicet abſoluto, ianuam, repagulo clauſam, domino proprio, in minas prorumpenti, aperuit (pag. 121.). Nunquam ſe credidiſſe, partum adeo celeriter abſolvi, teſtatur; atque ex quavis dolorum diſſipatione, inſtantis necdum partus, ſpes nova affulſit (p. 122.). Haec erronea perſuaſio, & terror, quo, dum primum, mediis ſub doloribus conſtituta, ab heri filia ſe compellari percepiſſet, perculſa fuit, ne alterius implorare potuerit auxilium fecerunt (pag. 121.); ac ſimilis animi, a terrore mox a partu tam inſigniter agitati, conſtitutio, ne domino ſuo, ac viro alteri, qui ſimul adſtabat, quo miſera in ſtatu haereret, fateretur, impedivit “.

„ Poſt praemiſſam huius partus hiſtoriam, quaeſtionibus tandem ab Inclyto Regimine mihi propoſitis, argumentis ex ipſo rerum decurſu petitis innixus, nunc ſatisfaciam. Ac primo quidem, certiſſimum eſſe dicam, a ſola fluxus menſtrui ceſſatione, niſi alia ſimul conceptionis indicia ſuccedant, mulieri, quae frequentius cum viro decumbit, ſat firmum pro determi-

nando

nando partus futuri tempore, non offerri argumentum “.

„ Nec minus certum esse constat, a *primiparis*, per longum saepe tempus, prolis in utero motum non sat clare ab aliis in abdomine turbis & a flatibus posse distingui: donec fortior foetus vegetioris, sub ultimis graviditatis mensibus, agitatio, circa praegnationem dubia quidem dissipet; nec tamen ultimam istius periodum tam certe annunciet; quin plures & expertae iam matres maturam prolem vel quinque vel sex adeo septimanis, priusquam id futurum esse putassent, utero excluserint. Hinc fides accusatae puellae, se citius, quam credidisset, ad parturiendum accessisse, ac partum sibi acceleratum fuisse asserenti, negari protinus non potest; licet mei esse non contendam, huic argumento plus auctoritatis, quam ipsae leges eidem concedendum esse arbitrentur, tribuere “.

„ Nemo prudens, parturientem foeminam posse in proprias actiones, ac in ea, quae circa se ipsam contingant, tam attentam esse affirmaverit: ut rerum levioris momenti, aut temporis, quo partus absolutus sit, aut modi, quo sibi singula successerint, rationem sat exactam reddere valeat. Si quis oculo attento matris ex legitimis nuptiis prolem enitentis anxieta-

tes, iactationem, desperationem, atque extremam, ob auctas dolorum ferocias, sensorii communis tensionem aspexerit; is iudicet velim, quid puellae, ab omnibus derelictae ac in angulo obscuro parturientis animo facultatis supereſſe queat, ut singula, quae proprio quondam iudici ad veritatis cognitionem conferrent, sat attente observet; aut eorum, quae in propriam *defensionem* afferre posset, recordetur. Sat longo a partu tempore terribilis illa animi commotio, perturbatio extenditur, & accusatae assertionem puerperae: „ *se non mox potuisse* „ *sui fieri compotem* “, valde reddit probabilem; quamvis, ob hoc quidem, primum puellae errorem (ut qui nonnisi de physica parturientis constitutione, circa quam scilicet medici interrogantur, loqui contendo) defendere hic nolim “.

„ Caeterum nulla fere animalis, in sanis alias hominibus, tam diversa, quam partus, est functio. Haec diversitas, quae apud sanas eiusdemque aetatis matres, a feliciori pelvis ac genitalium cum diametro capitis infantilis proportione, & a foetus ipsius positione plus minusve naturali dependet, ad totas adeo provincias extenditur: cum partus opus in illis vix non ab omnibus facillime, — in his, apud

plurimas mulieres, difficulter abſolvatur; quemadmodum in una eademque civitate, ſub certo parturientium numero, non paucae exiſtunt, quibus vix labor eſt, parere; & quae paucis interdum nixibus foetum ex ampla pelvi vix tam *expellunt*, quam *amittunt*. Saepius hinc, vel apud legitimas uxores, foetus, ante obſtetricis, licet promptiſſime accerſitae, adventum excluditur; & quae partum fere ignorat, iam mater eſt. Quaevis igitur puerpera in temporis, quod ad partum requiritur, aeſtimatione, facillime a vero aberrat; ac proles, vel ab unico dolore ac nixu ad partum fortiore, interdum adeo praecipitatur: ut ruptis, quae illam circumdant, velamentis, puer illico, & quaſi ſuper undis naſcatur. Foeminarum mihi exempla occurrerunt, quibus foetus, vix ab aquis emiſſis, ex utero cum impetu in terram delapſus eſt; — alias, quibus, ob nexum prolis cum utero necdum ſolutum, hoc viſcus per vaginam protractum fuit; — infantes, quibus, hoc praecipitoſo in orbem ſaltu, funiculus ad umbilicum diſruptus eſt “.

„ Non quidem apud multas tam facilis puerperii eſt conditio; atque maiora plerumque apud *primiparas* partui ponuntur obſtacula; non interim tam rara eſt a lege communi exceptio;

ac *primiparas* adeo, inprimis robuſtas, atque aetate necdum provectas, ſub feliciori pelvis fabrica, ac foetus corpulentia moderata, hunc ipſum breviſſimo hinc inde temporis ſpatio eniti obſervamus. Si, ut corporis totius longitudinem ac pondus, ita & *capitis* infantilis *diametrum* indicaſſet ſectionis hiſtoria: potuiſſet tunc forſitan celerioris ac facilis per genitalia tranſitus ratio quodammodo intelligi; vix interim hanc notionem cum tot exempla de partus brevi tempore abſolvendi poſſibilitate quotidie teſtentur, neceſſariam eſſe contendam “.

„ Praetendere quis poſſet, hanc pariendi facilitatem, ad illos modo foetus, qui capite praevio in pelvem deſcendunt, extendi; ſed obſtetricantium plurimorum hic experientiam ſibi contrariam haberet; atque, ut unus ex primis huius artis Magiſtris, BAUDELOCQUIUS, confirmat, „ partus *agrippinus* non ſemper & „ ubique artis ſibi auxilium neceſſario requirit, „ atque hinc ad *partus naturales* ſine iniuria „ referri omnino poteſt “.

„ Hoc equidem de illis modo caſibus plerumque dicendum eſſe fateor: in quibus naſcentis cum pedibus praeviis pueri facies verſus os ſacrum, — pedum vero digiti verſus humum diriguntur; vel ubi facies, aut pedes modo la-

teraliter inflexi, per vaginam incedunt: cum in contraria foetus positione plerumque mentum istius ad os pubis maternum haerere, ac partum obstetricantis subsidio indigentem, vel saltem diuturnum ac difficilem inducere videamus".

„ Praeter vero illud, quod mulier sub ipso partu constituta, plerumque rerum ac temporis infida sit observatrix; & quod in proprii corporis tam insolita positione, sub tanta dolorum atrocia, impossibile sit de vera foetus per genitalia propendentis directione cum aliqua certitudine ab eadem referri; — praeterquod iam excluſi ad collum usque infantis truncus hac in directione a matre pendere queat; cum interea caput pueri eiusdem contrariam positionem agnoscat; non perpetuam quis legem esse dicat, qua partum *agrippinum*, facie ad pubem matris conversa, vel quovis in casu, obstaculum non posse evitare contendat: cum & sub ista rerum conditione, inprimis sub ampliori pelvis maternae, ac mediocri capitis infantilis diametro, non raro foetum sine difficultate excludi videamus".

„ Positio puerperae in genubus, dum interim fulcro, utraque manu arrepto, abdominalium musculorum actionem intendit, in variis regionibus illa est, quam sibi matres vul-

gares prae aliis ad partum eligant, & quae certe huic operi, nec illo in caſu, de quo ſermo nunc eſt, obſtaculum opponit “.

„ Quodſi interim partus *agrippinus*, prae illo, quo capite praevio incedit foetus, difficultatem non ubique maiorem agnoſcat: pro ipſa nihilominus prole, ob funiculi umbilicalis, capitiſque compreſſionem, pericula augentur. Haec quidem a maiori, aut minori, a longiori aut breviori capitis, maternae pelvis anguſtias tranſeuntis, compreſſione oriuntur; interim foetus non pauci, qui primum pedibus prodierunt, licet modo parvam his in locis remoram ſubiiſſent, vel ipſo humanitatis in portu naufragium fecerunt. Ob hanc certe rationem, tam proficuum parturientibus, quibus iniqua prolis in utero poſitio interitum minatur, *verſionis negotium*, promptiori licet manu ſuſceptum, tot infantibus funeſtum eſt; ac diuturna ſaepe capitis in pelvi materna retentio, anguſtatio, non tanta, quam brevis ac ſubitanea cerebri infantilis compreſſio, pericula agnoſcit “.

„ Non repugnat itaque, matrem, in ea corporis proprii, — atque cum illa foetus poſitione, quae in accuſata puerpera locum habuit, ſolam, atque ſine alterius auxilio, licet hoc beneficium, ſi modo hoc nomen mereatur, non

multis adeo conceſſum ſit, partum celeriter abſolvere “.

„ Nunc ad alteram quaeſtionem, num ſcilicet ex hiſtoria ſectionis non minus, quam ex caeteris concludi queat, prolem *Apolloniae*, cum naſceretur, vixiſſe, reſpondebo “.

„ Mox autem fatebor, quod ſuſceptum a Phyſico *pulmonis experimentum* (licet non eo, quem omnes nunc *iuriſprudentiae medicae* Magiſtri commendant, modo, id eſt, cum *ſeparatis diſſecti pulmonis portionibus*, ſimul inſtitutum eſſe videatur); cum hoc viſcus nulla adhucdum putredine correptum fuerit, extra dubium omnino ponat, *pulmones infantis, de quo agitur, aerem ſuſcepiſſe* “.

„ Aſt vero, quod iam ipſa ſectionis die, vel *duodecima* Maii, — hinc tempore *ſpecialem inquiſitionen*, ut vocant, praecedente, a Phyſico affirmatum fuerit *infantem etiam poſt partum vixiſſe*; huius certe deciſionis fundamentum, tunc temporis, ex primo ſaltem ac generali accuſatae puellae examine, peti haud potuit. Ex pulmonis ſcilicet non putreſcentis natatione, aliud deduci argumentum non debuiſſet; quam *aerem*, cuius ope pulmonum ſuperficies dilatata, & columna aquae ſuppoſita levior ſit reddita, *hoc in viſcere contineri*. Quomodo

vero hic aer pulmones intraverit, hoc quidem tunc temporis, in quantum ex *actis* ac *viſo & reperto*, ut vocant, uſque ad diem Maii duodecimam exſtructis apparet, *incertum erat*. Hinc PLOUCQUETUS inquit: „ Saepe ex „ pulmonis in aqua natantis experimento, plu„ ra, quam recte poſſent, deducere contende„ runt, qui ex eodem, non modo ad *aeris in* „ *pulmonibus praeſentiam*, ſed ſimul ad *vitam* „ foetus ex utero excluſi argumentum ſumſe„ runt (*) “. MORGAGNUS eodem modo docuerat: „ quin etiam, dicens, ut in omne „ ſcelus prona quorundam hominum ſunt inge„ nia, poſſet inimico in mulierem animo quiſ„ piam, aut quaepiam, in cuius manus infans, „ mortuus editus, perveniſſet, clam omnibus „ id feciſſe, ut immerentem calumniaretur, „ quaſi ſpirantem occidiſſet (**) “; quod certe momentum eiuſmodi *cadavera* melius, quam fieri conſuevit, *cuſtodienda*, atque a Phyſicis in ſingula, quae cum illis aut fieri potuiſſent, aut facta ſint, inquirendum eſſe, oſtendit “.

(*) Abhandlung über die gewaltſamem Todesarten, als ein Beitrag zur mediciniſchen Rechtsgelehrheit §. 144.

(**) De Sed. & cauſ. morb. Lib. II. Epiſt. XIX. art. 47.

„ Nec magis Phyſici noſtratis opinioni, qua, ex ſpontaneo meconii per alvum ſeceſſu, & ex inanitate veſicae concludit, harum partium evacuationem non aliter, ac per thoracis dilatationem, & ſequentem ex iſta diaphragmatis deſcenſum ac preſſionem explicandam eſſe (p. 30.), accedo. In illa nempe partus ſpecie, in qua puer cum natibus pelvim intrat, & ex qua, ſaepe illa cum pedibus, deſcendit, communiſſima, notiſſimaque ſimul res eſt, ex *mechanica* abdominis infantilis praevii ſub partu compreſſione haec viſcera evacuari, quin ideo ad reſpirationis, vel ad diaphragmatis in *vivo* infante actionem recurrendi ſit neceſſitas “.

„ Tumor capitis infantilis externus, livor eiuſdem atque iuguli ad thoracis uſque initium, vaſa pulmonum a ſanguine multum extenſa, — potuerunt utique docere, *infantem adhuc ſub partu vixiſſe* (*); & cum ex *ſpeciali* accuſatae puerperae *examine* compareat, aſſertionem *Apolloniae*, „ ſe proli propriae, pro mortua iam „ habitae, aerem inflaviſſe “, huic ſoli fundamento, „ quod ſemel aerem infantis faciei „ aſpiraverit (p. 107. 128. 129.), — quod

(*) PLOUCQUET, l. c. p. 158.

„ ſpiritum proprium foetus ori ac vultui, a „ pollicis unius fere cum dimidio diſtantia, „ adflaverit (p. 138.) “, inniti; — cum a dibiliori hac & a longinquo ſuſcepta aſpiratione, nec aer facile ad pulmones urgeri, nec hi ipſi adeo, ut aqua leviores redderentur, extendi potuiſſent (*); apparet, inquam, ex iſtis, *infantem*, de quo ſermo eſt (licet iſtorum notitia ex *ſpeciali* modo *Apolloniae examine* potuerit hauriri, ac melius forſitan eruta fuiſſet, ſi, ob rudiorem gentis ruſticae mentem, & explicationis clarioris difficultatem, huic ipſi puerperae infantem porrexiſſent, & quomodo huic aerem inflaverit, experimento comprobaſſent) tractu ſaltem unico, quod *vitam* conſtituit, *reſpiraſſe* “.

„ Sed quo demum temporis momento primam reſpirationem duxit proles? . . . an cum ipſis adhucdum inhaereret genitalibus? an vero poſt corpuſculi ex utero excluſionem? . . . hoc quidem difficulter eruitur; aſt, ſi primum eſt

---

(*) „ Aerem in cuiuscunque foetus pulmones, pau„ ciſſimum, & leni, ac debili omnino conatu a „ nobis immiſſum, imparem eſſe, tot veſiculis ex„ pandendis, quot omnino debeat, ut pulmones „ in aqua natent, experimento ſaepe comperi “. MORGAGNUS l. c. art. 46.

possibile: tunc ultimum huic ipsi possibilitati, ne in propositi argumenti solutione incerti quid maneret, ut *factum* opponi debuisset “.

„ Non posse foetum velamentis adhucdum inclusum respirare; hoc facile omnes concedent; sed „ non penitus repugnare, posse eiusmodi „ foetum aliquo ab obstaculo, ut a latis humeris retentum, ore suo deorsum in ostium „ verso, & respirare, & vagire “, docet ipse HALLERUS (*). Ad primam foetus maturi respirationem nil praeter athmosphaerae, suo pondere, vel per minima interstitia se facile insinuantis, accessum, ac thoracis cum abdomine, ad suscipiendum in pulmones aerem, dilatandi occasionem, requiritur. Quin HALLERIANAE doctrinae partes hic sumam, eoquod, ut & CAMPERUS iam monuit (**), in ipso uteri cavo, pro pectoris dilatatione, vix tantum, ac requiritur, spatii concedi videatur; certus sum, infantem ad iugulum usque exclusum, & cuius modo caput in cavo pelvis retinetur, ita ut, brachiis manibusque utroque ex latere appositis, vagina & ab ore & a naribus

(*) Element. physiol. T. VIII. p. 401.
(**) Abhandlung von den Kennzeichen des Lebens und des Todes bei neugebohrnen Kindern; p. 57. 58.

ſatis removeatur, aerique ſub thorace ac inter brachia per triangulare quaſi cavum aſcendendi locus concedatur, nil, quin ſemel iterumque reſpiret, impedire. Hinc & HALLERUS inquit: „ ſi aeri modo acceſſus datus fuerit, & „ praeterea caput eo modo converſum, ut *aerem* de vagina habere potuerit, poteſt demum „ dari, foetum & reſpirare poſſe & vagire (*) “, & MORGAGNUS, „ cum ergo pulmonem „ haud bene conſtitutum, ſed putredine infectum deprehenderimus, inquit, non propterea foetum eſſe vivum editum, pronunciabimus. Multoque etiam minus, quandocunque „ probabilis ſuſpicio erit, inter ipſos difficilioris partus conatus, ruptis iam membranis, „ potuiſſe aerem ducere, priuſquam in ea mora poſtea mortuus, ederetur (**) “. Quam facile igitur erit foetum reſpirare, ubi & pectus & abdomen, ex vagina iam pendula, a quavis compreſſione ſunt libera; ubi diaphragma deſcendere, atque coſtas attolli, thoracem dilatari nil impedit “?

„ Supponamus vero ſic naſcentem infantem, poſtquam ſpiritum bis terve iam duxerit

---

(*) L. c. Lib. XXIX. Sect. IV. §. 56.
(**) L. c. art. 47.

(ad quod certe opus nonnisi temporis momentum requiritur) vel ob unam ex cauſſis enunciatis, vel, ut monuit BRINKMANNUS, atque ut noſtro in caſu non difficulter contingere potuit, ſub partu ab aquis ex utero fluentibus in ipſa vagina ſuffocatum eſſe: tunc certe, ſub experimento cum pulmonibus inſtituto, ſingula praegreſſae reſpirationis ſigna comparerent, ac nihilominus, qui puerum *poſt partum vixiſſe* aſſereret, is a vero valdopere aberraret".

„ Ex his igitur ſine dubio elucet; quod in caſu ab *Inclyto Regimine* ad examinandum mihi oblato, nullum ex parte medica tam certum vitae foetus *poſt partum* continuatae indicium habeatur, ut prolem *Apolloniae* non in ipſis huius puerperae genitalibus, hinc priuſquam *nata* eſſet, — ſed a matre diſiunctam, atque ſeparata exiſtentia fruentem, reſpiraſſe, aſſerere quis poſſet".

„ Caeterum deſiderandum mihi non ſine magnis rationibus videtur, *Phyſicum* ſub cadaveris ſectione & in hoc fuiſſe attentum: an ſcilicet violentiae alicuius ad *vertebras colli* infantilis ſigna, & quaenam ex iſtis, ſubeſſent. Livido illa, circa iugulum adnotata, cum potius umbilicali funiculi, collo foetus circumvoluti, atque ſub violento iſtius ex pelvi exitu dilacerati effectus eſſe potuerit, violentiam non

probat. Nec in *Actis*, vel in *Apolloniae* reſponſis, huius lacerationis, quam forſitan dare non potuit, explicationem invenio; nec Phyſici difficultatem hanc ſolvit depoſitio. Cum vero ab illo, de inſtituto cum pulmonibus experimento fit mentio; huic ipſi in eo aliquid deeſſe videtur: quod nec de *vaſis* hunc ad finem adhibiti *profunditate*, nec de *aquae*, cui pulmo cum corde immiſſus eſt, *quantitate* loquatur. Nec minus in *viſo* ac *reperto*, an, cum thorax aperiebatur, pulmones infantis *corculum* vel *nudum*, vel *obtectum* oſtenderint, iudicandum fuiſſet. In foetu ſcilicet reſpirationem nondum experto, pulmones non ſuper ipſo corde extenduntur monente HALLERO (*); cui ſigno maiorem adhuc PLOUCQUETUS auctoritatem concedit (**). Quod ſi a pulmonum ſuper aqua, nonniſi poſteriori argumento comprobato, natatione, quodammodo ſuperflua videbatur reddi huius rei indicatio: non igitur eiuſdem vilipendenda fuiſſet inveſtigatio; ſemperque verum erit, in tanti ponderis inquiſitione nec minimum, quod ad maiorem rerum dilucidationem faciat, argumentum ſine diſpendio veritatis reticeri “.

(*) Oper. min. Tom. I. p. 325.
(**) L. c. §. 149. p. 153.

„ Corpus illud peregrinum, in oeſophago repertum, quod ſubſtantiam obtulit ſpongioſam, obſcuram, ex terreis ac tendinoſis quaſi particulis conflatam, quatuor fere lineis longam, latamque, ac lineis fere quinque profundam, id *Phyſiologi* magis attentionem ſibi mereri, quam infantis mortem, tam brevi tempore inſecutam explicare videtur “.

„ Atque haec ſunt, quae ad quaeſtiones ab Inclyto Regimine mihi in *Apolloniae*, infanticidii ſuſpicione detentae cauſſa propoſitas reſpondenda eſſe duxi, ac manu propria corroborata, prout iubent officium ac intima perſuaſio, communico “.

„ Dabam *Bruchſaliae* die ſecunda menſis Iulii 1783. “.

His igitur argumentis pro rei dignitate ab Inclyto Regimine ponderatis, quae infelici puerperae, ſub alio aſpectu, imminebat, poena capitis, in aliam, eamque mitiorem converſa fuit; atque hoc ipſum magis eſt, PATRES SAPIENTISSIMI, AUDITORES SPECTATISSIMI, quam ſimplex, ut in foro loquentem docet, ac ornamenti egena dictio, quod *Veſtra* non prorſus indignum attentione putavi.

Nunc VOS, qui haec dicendi occaſionem dediſtis, alloquor, egregii Candidati! &c.

PETRI IOSEPHI SCHWENDIMANN
SOLODARENI
DISSERTATIO
HELMINTHOCHORTI
HISTORIAM, NATURAM
ATQUE
VIRES EXPENDENS.

Argentorati 1780.

INTROITUS.

NOli, Benevole Lector, credere, id me animo agitare, ut lepida Tibi atque dulci oratione novum quoddam remedium obtrudam, fallaci anthelmintici ſpecifici titulo; eo enim ſe iam extulit immenſus remediorum numerus, ut quo ordine maxime ea proponi debeant iuvenibus, ne memoriae eorum obruantur, diſputent, Mappaſque Geographicas lepide pictas, addiderint ordini alphabetico, ſecundum quem medicamenta iuxta regna vel iuxta morbos propo-

nere

nere ſoliti erant & ut omnis Medicorum turba, duce magno BOERHAAVE, de farragine immenſa pharmacorum conqueratur. Quod, cum nullibi in ſupellectili medica magis ſit verum, quam circa Vermifuga, potius animo trivi, ut novi cuiuſdam anthelmintici deſcriptionem, hiſtoriam, determinationem, analyſin, & vires novis aliquot obſervationibus ſuffultas, Orbi Medico communicarem, tribueremque Spectabili Facultati ſolvenda. Da quaeſo, veniam adoleſcentulo in arte dicendi minus exercitato, qui prima nunc vice in hanc palaeſtram perducitur, & ſuſtine animum tremeutis, cui ſi deſunt vires, tamen laudanda voluntas eſt.

§. I.

Nomen.

VErum & genuinum huius remedii nomen *Helminthochorton* eſt, a graeco ἕλμινς, *vermis* ſeu *lumbricus*, & χόρτος, *herba* ſeu *foenum*, ut vi vocis *helminthochorton* ſit *herba contra vermes* adhibenda, ſuppreſſa dein, ut id Gallis ſolet, littera H, *Elminthochorton* dixere; quod tan-

dem barbara contorſione abiit in *Lemithocharton*; nec id mirum hodiernis temporibus, ubi vere, quae *graeca ſunt*, *non intelliguntur*, vel a Viris in artibus ceterum expertiſſimis; eſſe vero, qui audaces adeo ſunt, ut publice dixerint, derivari a graeco quodam vocabulo *Lemitha* (*a*), quod *vermem inteſtinalem* ſignificare aiunt, aut a Viro quodam inventore (*b*) *Lemita* nomine, procacitatem linguae indicat. Ceterum cum Corallinae ſpecies creditum fuerit, e Corſicae inſula miſſa, hinc id quoque *Corallinae Corſicanae* nomine, *Coralline de Corſe*, aut a colore rufo, ad diſtinctionem a corallina vulgari, alba, *Corallinam rubram*, *Coralline rouge* (*c*), vocavere.

§. II.

Hiſtoria.

En enim rem, pluribus abhinc ſeculis, cura Colonorum Graecorum, in urbe Aiacio degentium, nota Corſicanis plantae marinae ſpe-

---

(*a*) STEFANOPOLI *Mémoire ſur le Lemithocharton* pag. 3.
(*b*) KAUFFMANN *Theſes Medica* Arg. 1780.
(*c*) *Gazette de Santé* 1777. N. 23.

cies erat, ad littora maritima Aiacii crescens, quo tuto, cito, & iucunde vermes humanos expellere consueverant; quum dein Corsicanorum turbae victricibus Gallorum armis compositae, & regia cura Xenodochia militaria in hac insula exstructa essent, tentatum, & A. 1775. substitutum hoc remedium corallinae albae, vulgari anthelminthico, in omni Corsicae regno est, iussu Protomedici exercituum Gallicorum, & Xenodochiorum in hac insula Inspectoris, nomine VACHER, qui etiam omnium primus fertur (*a*), eam A. 1756. iam Lutetiam misisse, Lucro dein ducti, ulterius huius remedii famam extenderunt DIMO STEFANOPOLI, natione Graecus & Xenodochii militaris Aiacii Chirurgus, atque FLEURY, eiusdem Xenodochii Pharmacopola, ut A. 1775. Bastiae iam publici iuris factum fuerit aliquod impressum titulo: *sur l' usage de la Coralline nommée Lemithochorton* (*b*), & ut non solum per Corsicam, sed per omnem Galliam, id remedium divendendum miserint.

Eodem anno 1775. MARTIN, Pharma-

(*a*) *Avis sur un puissant Vermifuge &c.*
(*b*) Id mihi videre non contigit, sed excerpsi ex *Gazette de Santé* 1777. N. 5.

copola Parisiensis mense Decembri venalem hanc plantae marinae speciem litteris inscripsit, in *Recueil de différens remedes utiles dans les maladies chroniques* (*a*).

In *Gazette de Santé* 1777. N. 5. planta accuratius describitur, eius icon exhibetur, & alios quoque Pharmacopolas eam accepisse narratur. Eius vires confirmavere eiusdem *Gazette de Santé* N. 8 1777. De ea mentio fit iterum N. 23. Item N. 26. cum observatione pulcherrima a Medico MAIGRET exhibita. De ea iterum loquitur eiusdem anni N. 31. ubi eius agendi modus egregie explicatur. Rursus eius virtus, experientia suffulta dicitur, iisdem *novellis sanitati dicatis* N. 44. eiusdem anni. In *Journal Encyclopédique* Decembr. 1777. ea, quae MARTIN inseruit *Recueil de différens remèdes* 1775. quo magis promulgarentur, denuo imprimi curaverunt.

Prodiit quoque hoc anno ill. VITET *Pharmacopée de Lyon*, qui eius etiam mentionem iniecit (*b*).

Multis & Medicorum & Pharmacopolarum

(*a*) Pag. 2. titulo : *Observation sur la génération des vers dans le corps humain, & sur l'usage intérieur d'une espèce de coralline, nommée Lemithoskorion.*

(*b*) P. 551.

teſtimoniis ſuffultas obſervationes collegit dein & fine loco impreſſionis in lucem edidit A. 1778. DIMO STEFANOPOLI in *Mémoire ſur le Lemithochorton, reconnu Vermifuge ſpecifique dans les Hôpitaux militaires, & par les obſervations des Médecins de France*, 4to *pag.* 24. Per omne enim Galliae regnum ſuam plantulam Medicis, Chirurgis & Pharmacopolis tentandam exhibuerat, bonique eventus teſtimonia ab eis efflagitaverat, ut in tractatione illa, maxima licet ſit quae circa hanc materiam edita fuerit, hae obſervationes dictae pretioſiorem abſolvant partem, cum reliquae, quae continet, male digeſtum circa vermes commentum ſint. Prodiit eodem anno 1778. Baſtiae impreſſum folium, quo FLEURY, Pharmacopola Xenodochii Aiacii, hiſtoriam huius corallinae, (uti vocat) eius vires, exhibendi modum, doſes, & loca Galliae, ubi divendendam curavit, narrat ſub titulo: *Avis ſur un puiſſant Vermifuge de l' Isle de Corſe appellé vulgairement Helminthochorton*.

Denuo huius vermifugi, tanquam eximii, mentio fit in ſupra laudatis *Novellis ſanitati dicatis* (*Gazette de Santé*) 1778. N. 25.

Referunt epilepſias verminoſas eo curatas *eaedem Novellae* 1778. N. 27.

Obſervationes cum eo inſtitutas inſeruit SUMEIRE, Gallo-Provinciae Medicus, *Journal de Médecine* Octobr. A. 1779.

Utile remedium in multis caſibus Helminthochorton eſſe, annuntiavit *illuſtris Societas Medica Regia, in Novellis ſanitati dicatis* A. 1779. N. 37.

Proſtat praeterea adhuc aliquod foliolum, quo hoc remedium venale proponitur, titulo *Lemithochorton*, ſed cum & impreſſionis locus & annus deficiant, quo, id ponam, ordine, ignoravi.

Nuperrime inter praecipua vermifuga poſuit Helminthochorton cel. HAPP in Diſſert. inaugurali, titulo *Vermium inteſtinorum hominis hiſtoria*, Lipſiae 1780. p. 47.

Eius tandem quoque mentionem iniecit *Gazette d' Agricolture* A. 1780. N. 65. p. 518. tanquam extractum ex *Affiches du Dauphiné*.

Inde concludere fas eſt, hoc medicamentum, ex quo in Gallia notius fuit, quinquennium dico, in diverſiſſimis ſubiectis, ſub diverſiſſimis circumſtantiis, & variis admodum Galliae locis ſe ſemper, ut praeſtantiſſimum vermifugum geſſiſſe contra omnes verminm ſpecies, ut medentium iure in ſe trahat attentionem, & dignum ſit, in quod ulterius inquiratur.

§. III.

Descriptio, Iconia, Species.

Refert Helminthochorton substantiam ex fasciculis constantem, e rufo rubentem; quivis fasciculus in quem facile dirimitur, in omni diametro aliquot lineas sistit, & componitur ex fibrillis tenerrimis, quarum unum extremum filiforme est, incurvatum, & implexum; alterum inferne in basin crassiorem concretum, cui in speciminibus ad nos missis adhaerent parva conchylia, aliaeque quisquiliae; numerosae fibrillae evidenter lateraliter ramos edunt, & in quibusdam quasi nodos ad latera, rudimenta ramorum vidimus. Fibrillae capillaceae, microscopio submissae nodosae evidenter, & geniculatae, extremum vero filiforme bipartitum nobis apparuit. Odor nauseosus, qui marinis proprius est, penetrans, multum superat eum corallinae albae; sapor praeter salsum nihil nauseosi habet, at & hac salsedine vincit corallinam albam; lentescit ceterum & mollescit, ubi masticatur Helminthochorton, & nil asperi & stridentis offert, cum aliquo fragore vero rumpitur sub dentibus corallina alba; sed quid plura, qui semel in vita duas has species comparaverit, errare nequibit, nam non solum sapore, odore,

& colore, ſed & altitudine, craſſitie, habitu, & ſtructura vel nudo oculo diſtinguenda diſcrepant; alba enim faſciculos omni reſpectu maiores, e ramis filiformibus non geniculatis, ſed articulatis compoſitos ſiſtit.

Id lepida icone expreſſit & cum corallina alba ſimul tabulae aeneae inſculpta, comparatum exhibuit *Gazette de Santé* 1777. N. 5. addunt auctores harum novellarum, eam eſſe eandem, quam VELSCHIUS (*a*), quoque depinxit, nomine *Corallinae tenuifoliae conchis & tophis marinis adnatae*, at cum hanc non rubram ſed expreſſe viridem dicat (*b*), cum eius ſpecies nil communis habeat cum noſtro Helminthochorto, praeter id quod ſit vermibus inimica & conchis innaſcatur, hinc VELSCHII corallinam tenuifoliam, non eſſe noſtram plantulam putamus, nec ideo iconem abſimilem eſſe miramur, ceterum quod ab Auctoribus novellarum dicatur, VELSCHIUM referre, eam ſuis temporibus a circumforaneis fuiſſe venditatam, id ego quidem apud hunc Auctorem non reperio. Eandem quoque deſcriptam & depictam eſſe putamus a BARRELIER (*c*),

(*a*) *Hecatoſt.* 5. p. 27. Aug. Vindel. 1675. 4to.
(*b*) L. c. p. 28.
(*c*) N. 1337. Icon 1391. n. 13.

titulo: *Muſci ſpicati capillaris*, quem JUSSIEU *corallinam capillarem e cineveo fuſcam* nominavit, & ad mare Tyrrhenium creſcere ait.

Demonſtrant modo dicta, ubi comparantur cum iis, quae oculus armatus lente vitrea, ſive ſimplici, ſive compoſita, in ſiccata aeque ac in aqua frigida infuſa planta cernere conceſſit, eam corallinis adſcribi non debere, cum nihil calcarei habeat (*a*), non poſſe annumerari fucis, cum nec granula, nec veſiculae, nec corpus penicilli forme in illa conſpiciantur; ſed ad Confervas vegetabiles aquaticas pertinere, filamentis teneris & capillaceis efformatas, nulla parte a reliqua ſubſtantia diſtincta inſtructas. Proxime accedere nobis viſa eſt, ad *Confervam dichotomam* LINNAEI (*b*), quae eſt *Conferva dichotoma, ſetis porcinis ſimilibus* DILLENII (*c*); at cum inde differat magnitudine, colore, & ramis non erectis, hinc credimus nominan-

---

(*a*) In hunc tamen cenſum refertur a cel. VITET, in *Pharmacopée de Lyon* p. 551. diciturque eſſe *Corallinam rubentem* L. at ſi allegata comparaviſſet iconia & praecipue ſi ei aeque ac nobis contigiſſet ipſam corallinam rubentem L. cuius ſpecimen excell. HERRMANN mihi benigne communicavit comparare cum helminthochorto, hunc errorem non erraſſet.

(*b*) *Syſtem. Nat.* T. II. p. 720. Edit. 13. Vindob.

(*c*) *Hiſt. Muſc. n.* 17. *Tab. III.* fig. 9.

dam esse *Conferva helminthochortos*, *dichotoma*, *uncialis*, *rufescens*, *ramis horizontalibus*.

Plures eius varietates existere posse plus minusve anthelminticas non negamus, omnes enim plantarum maritimarum species vi vermifuga instructas esse notum est. In nostra plantula, difficilius distinguenda, si fides apud eos est, qui eam divendendi ardore consumuntur, apud STEFANOPOLI (*a*), & FLEURY (*b*), duplicem praeprimis speciem agnoscunt, *Maiorem*, magis rubram & rotundam, altitudine quatuor aut sex pollicum cum extremitate acuminata, atque *Minorem* quae vix ad pollicem accedit, cineream magis; hanc optimam esse aiunt (*c*), estque ea quam nos descripsimus, qualis in Pharmacopoliis Argentoratensibus venalis proponitur.

§. IV.

Analysis Chemica.

Helminthochorton prouti nobis affertur, cum acidis effervescit, quando autem accurate ab omnibus, quae ipsi adhaerent, minutis con-

(*a*) *Mémoire* pag. 11.
(*b*) *Avis sur un &c.* p. 2.
(*c*) L. mox citato.

chyliis & aliis heterogeneis lotione cum aqua privatur, tunc nulla omnino effervescentia observatur.

Ardentibus iniectum carbonibus, cum aliquo strepitu seu decrepitatione consumitur, cum foetore evidenter vegetabili, hinc diverso ab eo, quem corallina alba refert, quae tunc cornu adustum redolet.

Aquae frigidae ubi committitur, in ea levissime intumescit, quod corallina non facit; per aliquot dies in ea servatum, colorem rufum exuit, & in pallide flavum, aut sordide album transiit; tertio iam die foetere incepit.

Haec aqua post duos infusionis dies filtrata, ubi syrupo violarum admiscebatur, eius colorem nullo modo mutavit; mercurium in acido nitri solutum, colore ex albo leviter flavicante praecipitem dedit, ut inde ad praesentiam salis communis, aut forte etiam mirabilis Glauberi, in nostro remedio concludere fas sit (*a*).

Quo videremus, quale sal contineat sapore admodum salso praeditum helminthochorton, eius uncias duas minutim consciissas, infudimus cum aquae frigidae distillatae unciis sedecim,

(*a*) Alia observavere cel. HOPP, & exp. LEONHARDIUS, qui sal marinum absque ullo alio, in eo deprehenderunt, *Diss. cit.* p. 47.

ſaepiuſque miſcelam ſpatula miſcuimus; elapſis ſex circiter horis per filtrum traiecimus aquam, & praelo adegimus plantulam infuſam; ſalſum admodum lixivium erat, & colore flavo tinctum, reſiduum ab expreſſione denuo duodecim unciis aquae diſtillatae infundebatur per ſex horas, traiectus per filtrum liquor vix tinctus, vixque adhuc ſalſus reperiebatur; ab his infuſionibus reſiduum, ferventis aquae diſtillatae unciis duodecim immergebatur, elapſis duodecim horis per colum traiectus liquor viſcidus admodum erat, & neutiquam ſalſus. Superſtes ab his elixivationibus helminthochorton poſt ritam exſiccationem referebat pondus unciae unius, cum duabus drachmis. Confundebantur nunc prius obtenti liquores & ſolis radiis evaporandi ergo exponebantur, poſt biduum turbidi cernebantur, putridumque olebant; cum dein balneo arenae ad uncias quatuor reducerentur, nullas tamen cryſtallos obtinere contigit; ad cuticulam evaporatus liquor, cryſtallos quidem exhibuit, quas vero ſeparare viſcidior mucilago impedivit. Omnibus hinc ad ſiccitatem, caloris ope reductis, inſpiſſato ſuperinfundebatur alcohol vini, quod flavo colore tingebatur, & ſalſum ſaporem acquirebat. Inde remanens ſolvebatur aqua diſtillata frigida, quae filtrata, & rite

evaporata, cryſtallos quidem ſeparavit, quas vero iterum mucilaginis copia, qua tegebantur, ſeparare impedivit. Ut inde concludere ſit, helminthochorton multum ſalis continere, cuius vero ſeparationi & cryſtalliſationi maior mucilaginis quantitas, qua ſcatet, ſe opponit.

Alia hinc via ad indaganda noſtrae plantulae principia, incedere tentabamus; quatuor nempe noſtri remedii unciae conſciſſae, in retorta vitrea balneo arenae committebantur, inſtituebaturque igne gradatim aucto diſtillatio; prior, quae ſub forma ſpiritus lactei prodiit portio, ipſius confervae odorem retulit; eum excepit ſtatim empyreumaticus, cui aliquot aduſti olei guttae ſupernatabant, aequabat drachmas ſex; alia quidem occaſione integram unciam ſpiritus ex eadem helminthochorti quantitate elicui, id vero maiori vel minori huius plantae ſiccitati tribuendum eſſe, facile patet. Aucto adhuc calore in excipulum tranſibant ſpiritus grana quindecim, & olei aduſti drachma dimidia.

Spiritus lacteus per diſtillationem obtentus, cum oleum inde ablatum fuerit per aliquot dierum moram, badio tingebatur colore; rectificatus, nullam cum acidis, ne quidem cum eo nitri effervescentiam obtulit, colorem coeruleum

ſucci heliotropii in laete rubrum vertit, ſyrupum violarum non mutavit illico, ſed modo poſt aliquot dies praeterlapſos, ex flavo parum viridis cernebatur; ubi hic ſpiritus addebatur ſolutioni mercurii in acido nitri, huius color in lucide rubrum tranſiit, nihil ſtatim praecipitabatur, ſed paucis diebus elapſis in fundo rubri liquoris praecipitatum obtinuimus, citrino colore praeditum; cum ſolutione ſalis tartari in aqua mixtus liquor lacteſcebat, odoremque fortiorem referebat, ſucceſſu temporum color in flavum tranſiit. Elici inde poteſt, ſpiritum ex helminthochorto obtentum ammoniacalis naturae eſſe cum exceſſu acidi, ab oleoſis vero principiis ita eſſe circumdatum, ut ſuam naturam non evidenter prodere poſſit. Remanens a diſtillatione caput mortuum repetitis vicibus cum aqua diſtillata coquebatur & elixivabatur, parum inde tingebatur aqua, at odore & ſapore referebat aliquantiſper hepar ſulphuris, addito acido, turbabatur liquor, & verum ſulphur praeceps dabatur, procul dubio ab oleoſis partibus, quae acido vitrioli e ſelenite aut ſale Glauberi deſumptis, iungebantur. Ad uncias circiter quatuor reducta, quae ad edulcorationem adhibita fuit aqua, cuticula ſalina tegebatur, nullae vero cryſtalli poſt refrigerationem

reperiebantur, hinc decantato liquore, ipſa cuticula ſiccabatur, erat ea ſelenitica, & pondus granorum decem aequabat; ulterius evaporato liquore, per iteratas cryſtalliſationes ſeſqui-drachma ſalis, quod communis eſſe videbatur, apparuit; ulterius adhuc protracta evaporatione, grana decem alcali mineralis prodierunt; liquor ultimus, ob parcitatem non ulterius in cryſtallos abiens, adeo evidenter alcalinus erat, ut viride tinxerit ſyrupum violarum, & mox efferbuerit cum acidis. Quod ab hac elixivatione reſiduum erat caput mortuum, pondus retulit unciarum duarum. Ut inde pateat, noſtrum helminthochorton omnium productorum marinorum ad inſtar, fovere maiorem quantitatem ſalis communis, ſal Glauberi, ſelenitem, atque alcali foſſile cum non parca terrae inertis quantitate.

Ulterius dein in noſtra analyſi progreſſi ſumus, extracta aquoſa & reſinoſa ex noſtra planta parare tentavimus. Hoc ſcopo helminthochorti uncias duas, quater repetitis vicibus cum aqua vulgari coximus, donec ultimum decoctum nullum ulterius nec ſaporem nec odorem retulerit; omnia decocta confuſa, & evaporata ad ſex unciarum remanentiam, praeſentarunt, ubi refrigerant, veram quamdam mucilaginem,

quam discis impositam, clibani lento calore ad siccitatem perduximus; ita obtentum Extractum aquosum primarium, badium erat, salsum, inodorum, & pondus aequabat drachmarum quatuor cum dimidia; id quod ab hac extractione remanebat probe siccatum, ponderabat novem drachmas cum dimidia. Huic cum superfunderentur alcoholis vini unciae octo, rite digererentur, & filtraretur, colore dilute viridi tingebatur; eodem modo, secunda vice cum alcoholis unciis octo digestum residuum, nihil ulterius huic menstruo communicabat; confusis his liquidis aquae distillatae unciae sex addebantur resinae praecipitandae ergo, at vix turbabatur liquidum, ita ut abstracto leni igne spiritu, vix grana sex Resinae, seu Extracti resinosi secundarii remanserint. Aqua vero inde superstes, decem adhuc grana extracti aquosi primarii reliquit. Remanens ab extractionibus aquosa, & spirituosa helminthochorton aequabat pondus unciae unius cum scrupulis quatuor.

Quo certiores rei essemus, inverso quoque modo haec experimenta instituimus. Id est uncias duas nostri remedii cum duodecim alcoholis unciis digessimus, filtravimusque, colore e viridi badio tingebatur spiritus; remanens denuo digestum cum alcoholis unciis octo, versus viridem

vergere

vergere faciebat liquorem. Iuncta menſtrua ab additis aquae diſtillatae unciis ſex turbabantur; abſtracto dein alcohole, rufa remanebat aqua cum Extracti reſinoſi primarii granis quindecim; ipſa haec aqua, poſtquam evaporaretur, exhibuit extracti aquoſi, in aëre humiditatem attrahentis drachmam integram cum granis decem. Id quod ab hac extractione cum alcohole vini reſiduum ſupererat helminthochorton, exſiccatum referebat adhuc pondus unciae unius cum dimidia; quum hoc toties cum aqua coqueretur, donec tandem nullum huic menſtruo, nec ſaporem, nec colorem communicaret, cumque dein hae aquae reducerentur per evaporationem ad uncias quatuor, veram mucilaginem praeſentarunt, quae ad ſiccitatem clibani calore perducta, ponderabat drachmas tres. Remanens a ſucceſſiva per alcohol, & dein per aquam extractione helminthochorton unciam ponderabat, cum drachmis duabus. Ut inde concludere ſit, ſat magnam mucilaginis, pauciorem reſinae partem fovere noſtrum remedium (*a*).

(*a*) Cur cel. HOPPE & exper. LEONHARDIUS *cit. diſſ.* p. 47. aiant: *ſpiritum vini cum hoc remedio digeſtum, nil reſinoſi dediſſe*, non videmus.

Ceterum helminthochorton apparatu chemico pneumatico exploratum, in modum reliquorum vegetabilium sese gessit; eius unciae duae exhibuerunt aëris fixi 114. pollices cubicos, & 122. pollices aëris inflammabilis, cuius priores portiones cum aëre fixo erant mixtae, agitationis cum aquae ope inde separandae.

En, Benevole Lector! quae mihi cum helminthochorto domi instituere, & ductu & concessu Optimi, & omni reverentia prosequendi Praeceptoris, Magni SPIELMANNI in eius Laboratorio Chemico repetere contigit experimenta, quae id saltem boni praeseferunt, ut aliis eadem experiundi compendium faciant, monstrentque vel hic analysin chemicam ad eruendas plantae vires vix aliquid contribuere.

§. V.

Vires.

Solam hinc experientiam in eruendis huius plantulae viribus, nos manuducere fas sit; eamque ducem fidam si sequimur, eluceſcit helminthochorton omnibus aliis vermifugis facile palmam praeripere. Citissime, iucundissime, & tutissime hos hostes e corpore expellere, omnes-

que inde pendentes morbos vincere cum colonis graecis, omnis vidit Corſicae inſula, & plaudunt omnes fere littorum Gallicorum Medici, plauduntque ita conſentientes omnes, & Medicorum & Chirurgorum, & Pharmacopolarum cohortes, ut ubi terminos repererint alios, ſemperque alios, & quorum unus ſemper alterum laude vincit, omnino mireris (*a*), ut ita ſaepiſſime repetita, ſub diverſiſſimis circumſtantiis experientia eundem ſemper huius remedii effectum probaverit, in Corſica aeque ac in Meridionalibus Galliae oris, atque in ipſa, & regni, & ſcientiarum Metropoli, adeo ut vel *Regia Medicorum Societas* ei publice debitam laudem tribuere non dubitaverit (*b*).

Qualem nunc ſeſe ſtitit exteris, eam & apud Argentoratenſes ſeſe probavit, ut & optimus Praeceptor LOBSTEIN *Anatomiae & Chirurgiae* decus, quem nominare laudare eſt, ſequens teſtimonium mihi exhibere non dedignatus ſit: *Tribus, in infantibus, Helminthochorton efficacem ſuam virtutem contra Lumbricos exercuiſſe obſervavi, cum in uno eorum,*

(*a*) STEFANOPOL. *Mémoire*.
(*b*) *Gazette de Santé* 1779. N. 37. p. 148.

antequam hoc remedium exhibitum fuerit, aliæ vermifuga abſq e ſperato effectu in uſum tractæ fuiſſent; datum fuit illud partim in ſubſtantiæ melle in electuarii formam redactum, partim etiam in decocto cum melle edulcorato, ut hucuſque in iiſdem omnia ſymptomata, quae vermes in primis viis hoſpitare indicant, evanuerint. Propinatum fuit doſi conſueta, matutino tempore & continuatum trium dierum ſpatio, quo factum, ut ſecundo iam die, tertioque ingrati illi inteſtinorum hoſpites ex ſuis habitationibus fuerint expulſi. — Eadem quoque reperitis vicibus expertus eſt, qui omni data occaſione ſuam mihi amicitiam probavit, Exercituum Gallicorum Medicus, Practicuſque feliciſſimus IOH. IACOBUS SPIELMANN, tutum, citumque vermifugum ei quoque ſeſe ſaepiſſime probavit praecipue contra Lumbricos, helminthochorton, eo praecipue commendabile, quod ſub diverſiſſima forma corpus ingredi poteſt. Communicavit is mihi quoque humaniter litteras, quas circa id argumentum ei miſerat amiciſſimus huic viro Dominus GYSER, *Poliater, & Dynaſtiae Pforzheimenſis Phyſicus Ordinarius*, quas ſtylo politiſſimo conſcriptas ipſiſſimis verbis opponere ingratum nemini erit.

Vir experientissime, Amice suavissime!

*Innumeros inter morbos, quibus miseri afflig*untur *mortales, is praecipue eminet, quem, uti nosti, ab antiquissimis retro seculis* Vermi*nosum Medicorum schola nominabat, multifariis, iisque atrocissimis stipatum symptomatibus; in quibus luculenter eruendis insignes, quos anteacta coluerunt tempora, in arte medica viri, studio omni adhibito, & experientia superstructa, desudarunt, elaboraruntque. Evolvantur solummodo eorum scripta memoriae sacra, perlegantur illorum lucubrationes, a* Coo *sene ad nostrum usque vitae cursum exaratae; vastam inde horrendorum symptomatum, a vermibus provenientium molem, maximo horrore perfusi poterimus perspicere. Inter diros cruciatus, quos perpeti infantes praecipue coguntur, quum infensissimi intestinorum hostes ex domicilio sese eripere tendunt, illudque destruere minantur; inter fletus miserandos, quos dolor lancinans, e vermium praesertim morsu oriundus procreat, ut a daemonum cohorte excruciari tenellum saepius putes, nullus est homo, ni pectus eius callo sit obductum, quin ad misericordiam ineffabilem adducatur. Sudore madens, viribus fractus, animi deliquiis pressus, con-*

vulſionibus vexatus, inter adſtantium manus pro mortuo collabitur aeger. Heu triſte ſane ſpectaculum! millia infantum hoc modo vitam cum morte commutant. Hinc nullo non tempore, artis Machaoniae periti nullum laboris & operae in profligando iſto malo, in expellendis ominoſa minantibus animalculis conſumpſerunt. Quis autem eſt, quem lateant frequentia clariſſimorum virorum, contra hunc morbum inſpinato ſaepius invadentem, remedia omni laude condecorata, — nulli, inquam, doctiſſime SPIELMANN! *ignota ſunt iſta niſi in ſcientiae ſalutaris immenſo campo boſpiti, & corporum, in amplo almae naturae regno detectorum, inſcitia laboranti; mirus enim naturae curſus, copioſae rerum exiſtentium mutationes, varia morborum indoles, obſcura nonnunquam ſymptomata, ſtatuſque degener, opinionum in remediis eligendis maximam ſaepius pariunt varietatem. — Aſt noſtrae inprimis aetati iſte contigit felix rerum ſucceſſus, ut clariſſimus Dn.* STEFANOPOLI, *Graecus natione, Exercituum Regis Galliae Chirurgus, muſcum quendam maris prope littora procul dubio, ſeu ſuper ſcopulos creſcentem, detegeret, omnium anthelminticorum utiliſſimum, praeſtantiſſimum, atque pro vero ſpecifico, in cunctis morbi verminoſi ſymptoma-*

tibus unice habendum. Dignus, qui fama & litteris celebretur, vir iſte, diligentiſſimus naturae perſcrutator, per ſedecim integros annos, periculo facto, eximium, quem Lemi, ſeu helminthochorton praeſefert, uſum ſatis abundeque teſtatus eſt; celebres Galliae medicos de hoc remedio vermifugo certiores fecit, eorumque experimentis circa hunc muſcum inſtitutis reſpondit eventus. Et ego, corporum detectorum notione laetus, cum plantae maritimae efficaciam ex amico perceperim, nonnullis malo a vermibus procreato laborantibus, ſtatim iuſſi propinandam, aqua fervida infundendam. Acceptum infantibus theiforme infuſum, lacte mixtum, & ſacchari dulcedine impraegnatum, gratus dein prae aliis remediis ſapor, inſignis inſuper & exoptata helminthochorti praeſtantia effecit, ut rumore ſparſo, incolae urbis, in qua Phyſici munere fungor, undique advolarent, liberiſque adportatis, divulgationem iſtius muſci a me peterent. Suavis hominum iſtorum oblatio & ingens in me confidentia, ſtudium quorumvis mortalium, qui manus implorant auxiliatrices, ſanitatem reſtaurandi, tuendi, ac perfectiorem reddendi, animique voluptas, tale poſſidendi remedium, quale ad deſtruendos vermes aptiſſimum ſit, fauſtum copioſae medelae procreave-

gunt exitum; observationes quippe, quas chartae commisi, numerum superant quinquagesimum, virtutemque helminthocherti divinam, & nullo non tempore exploratam satis superque ostendunt. Cum nunc secundum litteras nuperrime mihi missas declarasses egregium iuvenem quendam, animo agitare ut huius plantae effectus orbi literario communicaret, simulque hunc in finem observationes quasdam notatu dignas a me desideravisses, en! ex tota farragine saltem tres.

OBSERVATIO I.

Puer sex circiter annorum, vehementi ventriculi, & partium adiacentium dolore, morsus instar, laborare incepit, qui per aliquot iamiam dies, antequam accersitus fuit, perduravit. Accedit vultus pallor, ad panem siccum insatiabilis appetitus. Adfuit insuper diu, noctuque narium pruritus, & perpetua illarum perfricatio; cernebantur in somnis terrores, cum repentino totius corporis subsultu, qui insomnem vexabant puerum. Abdomen turgidum deprehendebatur, & paullulum tensum, insistebant ructus, conatus vomendi, anxietas, foeda pituitae os implentis excreatio, ac mirus linguae nodus. Propinabam hinc ob iustam suspicionem,

eiuſmodi intus praeſto eſſe animalia, mane & veſperi drachmam helminthocborti dimidiam, aquae fontanae unciis ſex infundendam, ſaccharo & lacte edulcorandam; nec eventus fefellit exſpectationem; expellebantur nimirum altero ſtatim die, poſt aſſumtum divinum illud remedium, quatuordecim lumbrici teretes, longitudinem ſex pollicum, craſſitiem vero calami aequantes ſcriptorii. Per tres adhuc ſequentes dies idem vermifugum iuſſi ſumi, aſt, nullis amplius e corpore eiectis vermibus, dolores ceſſabant; hilaris redibat faciei color, omnia omnino aberant ſymptomata, nec hucuſque de ullo puer conqueritur incommodo.

OBSERVATIO II.

Puella, nonum agens annum, habitus macilenti, corporis fero exſucci, multifariis, iiſque pertimeſcendis obruta fuit ſymptomatibus. Viſa, & interrogata aegra, quae hectica corripi febre videbatur & hypocraticam fere faciem poſſidebat, foetidum oris halitum ſpargebat. Cum mater de malis atrociter furentibus, epilepſia nimirum, periodica aphonia, ſurditate ſaepius appropinquante, omnium corporis membrorum laſſitudine incredibili, roſionibus inteſti-

norum, ac vellicationibus saevissimis, clamorem cientibus, ac involuntarium partium externarum motum, disiectionemque vehementem gignentibus, & flatuum inprimis tortura, certiorem me fecisset, vermes in intestinorum tractu, multamque saburram latere statim sum ratiocinatus. Datis in principio, quae febrem, qua laborabat, mitigarent, antiphlogisticis, antispasmodicis, ejectisque copiosis cruditatibus, bile rancida, & materie summe pituitosa, atque tenaci, diebus quatuor praeterlapsis, egregium summo cum gaudii helminthochorti usum cognoscendi nactus sum occasionem, expellebantur enim nonnullorum dierum spatio viginti teretes lumbrici, & vivi, & mortui, symptomata gravissima ante, mitiora nunc reddebantur, accedebat per noctem somnus, vires fractas maxime reficiens, ciborum concoctu facilium assumtio robur addidit, sexiesque deglutitis scrupulis helminthochorti, duobus, se nullo amplius affici malo, respondit aegra; hinc eundem sequi, qui propositus fuit, diaetae ordinem mandavi, corporis nunc, & animi vigore, valetudineque fruitur, secunda.

OBSERVATIO III.

Trium annorum puer, vegeti, & obesi corporis, motibus corripiebatur convulsivis perio-

dicis, qui tanto ſaepius invaſerunt impetu, ut humi proſterneretur. Foemina, cuius curae committebatur, miſer ille, hoc malo perterrita, me adibat auxiliumque implorabat meum. Explorato morbi iſtius genio, praeſentibus iis ſignis, quae vermes annuntiabant; ſtatim vermifugi huius grana viginti more conſueto, matutino & veſpertino tempore unciis quatuor ad ſex aquae fervidae infuſa, exhaurienda, propoſui. En! mirum in modum, ingens aſcaridum pituita craſſa, piceaque involutorum numerus altero die electus, per alvum cernebatur, quumque protinus cum helminthochorto inſiſterem, comites tandem accedebant lumbrici octo. Expulſi inquilini nunc demum accepti multum levaminis, mitigationemque ſymptomatum exoptatiſſimam procreare, ſanuſque ad hunc uſque diem permanſit puer.

Accipias nunc vir celeberrime! haſce obſervationes fronte ſerena velim, praeſtantiſſimique huius vermifugi virtutes mecum mireris eximias. Vos vero, qui arti ſtudetis ſalutari, quibus miſeros a morbo levaſſe ſolatium eſt, omnes intendite nervos, ut mirificas naturae vias nullo non tempore, & adhibita ſolertia perquiratis. Meritis clariſſimi DIMO STEFANOPOLI, *ſi non parem, at pro noſtro tamen*

ſtudio debitam perſolvamus gratiam, quod certiſſimum, praeſentiſſimum, & infantibus acceptiſſimum medicamentum inveniſſe contigerit. Manifeſte hinc & conſtanti obſervatione concludere licet, eam noſtri ſeculi eſſe felicitatem, quod multa iam inveniamus, & utilia, & vera, quae antea inutilia, nequidem veroſimilia credebantur. Vale, meque diligere perge. Dabam Pforzheimii d. XIV. Martii MDCCLXXX.

ERNEST. GODOFRIED. GYSER
D. Poliater & Dynaſtiae
Phyſicus Ordinarius.

§. VI.

Obſervationes noſtrae.

Tot tantiſque ſucceſſibus animati, non potuimus amplius cupidini, qua pectora conſumebantur noſtra reſiſtere, quin ipſi tentaremus, ipſi mortalibus ſuccurreremus, eorumque verminoſos hoſtes debellaremus, ipſi utiliſſimo Obſervatorum gregi annumerari geſtiremus; accipe humaniter noſtros conatus, Benevole Lector! & ſi in tanto circa effectus helminthochorti experimentorum cumulo, ea tironis in cenſum

venire non mereantur, conſideres ea ſaltem quaeſo, tanquam profectuum ſpecimen, unde quid valeant artus, quid ferant humeri concludere poſſis.

Obſervat. I.

Occaſionem mihi ſtatim dedit, fecitque FRANCISCA FETT annos 38. nata, quam diarrhoea verminoſa, ſex abhinc menſes per intervalla recurrens, ad ultimam fere tabis periodum perduxerat. Infelice nimirum fame commota, ante hos ſex menſes maiori braſſicae copia ſe ingurgitaverat acceſſit mox omnis, quae copiam ciborum vires concoctrices ſuperantem, malorum caterva ſequi ſolet, flatus, borborygmi, diſtentus ventriculus, reſpirandi difficultas, proſtratus appetitus, nauſea, inordinati ad vomitum ſtimuli cum torminibus; ingruit dein teneſmus cum alvi fluxu cruento, atque animato; tandem accenſa febris, & fluor menſtruus ſuppreſſus eſt, robur corporis eiuſque toroſitas adeo mutata ſunt, ut ſumma ſucceſſerit virium proſtratio, habituſque emaciatio tanta cum lugubri faciei pallore, ut umbram potius retulerit, quam verum corpus & mortem ad fores aſſiſtere putaſſes. Hinc liberatis primis

viis per emetica & purgantia a ſordibus, quo facilius ſuas vires helminthochorton exercere poſſet, maior iam recuperandae ſanitatis affulſit ſpes, cum expulſa inſigni ſaburrae quantitate iam melius ſe haberet aegra. Sequente tunc die propinavimus ei decoctum helminthochorti, id eſt eius drachmas quatuor ab aquae unciis ſex ad quatuor coctione redactum, & uncia una mellis edulcoratum; en vix elapſis 24 horis prodiere abſque moleſtia tres lumbrici teretes pedis pariſini longitudine, idem numerus excretus ſecundo quoque die eſt, tertio tandem & quarto quinque numero iterum apparuere immenſa ſordium mole velati. Continuavimus adhuc huius decocti uſum per tres ſucceſſivos dies, nil vero expulit praeter inſignem ſaburrae copiam; diſparuere ita funeſta omnia aegrae ſymptomata, ſola ſuperſtitit diarrhoea, quae ex arte adminiſtratis remediis tandem quoque ceſſit.

Obſervat. II.

Duodecim abhinc annis Taenia vexata femina MAYER annorum quadraginta, nunc quoque Lumbricis teretibus infeſtabantur, ructus ſentiebantur acidi, appetitus irregulares, tormina in regione epigaſtrica. Aſſumptum idem

decoctum helminthochorti, quod mox deſcripſimus, per tres dies ſubſequentes, ita ut alia portio matutino tempore, & alia iterum duobus a coena horis propinata fuerit, expulit tranquille primo ſtatim die cum faecibus tres teretes lumbricos, duos ſecundo, totidemque tertio die, cum inſigni numero cucurbitinorum; diſparuere ſic omnia ſymptomata, quibus miſera torquebatur praeter pungentem dolorem circa praecordia, quem a Taenia derivare ſolebat, & fortiorem ſemper graviditatis tempore adeſſe aiebat; hanc expellere aggreſſi, duplicata doſi decoctum, immo & helminthochorton in ſubſtantia doſi vulgarem multum excedente, exhibuimus, at votis non reſpondit ſucceſſus.

Obſervat. III.

Natus ex hac matre filius quatuor annorum, tertiam experientiam inſtituendi occaſionem ſubminiſtravit; diſtentus ei ventriculus, appetitus immanis panis praecipue, dolores ſubito irruentes circa umbilicum ſuſpicionem non levem attulerant praeſentium vermium in primis viis; is, cum quidquid pharmaci formam praeſeferebat, reſpueret, ſic deceptus eſt, ut helminthochorti pulvere, doſi ſcrupulorum duo-

rum, inſpergeretur panis cum eadem ſacchari quantitate mixtus, huic ſuper inducebatur butyri portio, & manducandam porrigebatur puero; ientaculi, & coenae loco idem per aliquot dies aſſumebat eo ſucceſſu, ut ſpatio quatuor dierum, novem lumbricis teretibus eiectis, ab omni incommodo liberaretur.

Obſervat. IV.

Septem libros verminoſos ſiſtit ex iiſdem parentibus, SCHERER nomine, natos, qui omnes helminthochorti uſu gaviſi ſunt. 1. Puer biennis, narium pruriti, abdomine tumido, reliquo habitu macro, ciborum frigidorum paniſque inprimis aviditate, vermium praeſentiam prodebat, is cochleatim porrecto huius plantulae infuſo, quod cum dimidia lactis vaccini quantitate miſcebatur, excretis ſex lumbricis teretibus, ſpatio trium dierum ſanitati redditus eſt; conficiebatur infuſum ex confervae drachmis duabus, & aquae fervidae unciis duabus, his addebatur lactis uncia unica, & edulcorabatur ſacchari uncia dimidia. 2. Huius fratereulus quatuor annorum, iiſdem afflictus ſymptomatibus, cum eodem quoque modo ei porrigeretur helminthochorton, trium dierum tempore

excrevit

excrevit quinque lumbricos teretes, atque ita ad ſalutem reductus eſt. 3. Tertius natu ſex annorum, eodem adhibito remedio, trium dierum intervallo, expulſis ſeptem lumbricis, ſanatus eſt. 4. Filia ſeptem annorum, praeter ſymptomata, quae fratres torquebant, vagis & fortioribus abdominis doloribus cruciata, ſaturatius huius remedii infuſum ſorbuit, eo eventu, ut emiſſis cum inſigni ſaburrae quantitate novem lumbricis teretibus, ſanitatem reſtitutam viderit. Infundebantur confervae drachmae tres cum aquae ferventis unciis tribus, his caffe infuſum, lactiſque anatica portio nempe uncia una atque dimidia ſacchari addebantur, quo magis acceptum fieret poculum. 5. Puer duodecim circiter annorum, cui praeter ſupra recenſita ſymptomata, tumidula facies de vermium praeſentia teſtabatur, huius medicamenti uſu ſeptem lumbricos teretes, & cum his ipſum morbum depulit. 6. Tredecim annorum frater, eodem medicamento ſex lumbricos eliminavit e corpore, atque ita evanuere fames canina, atque emaciatio, quibus praeter alia verminoſa mala affligebatur. 7. Maxima natu puella erat ſedecim annorum; haec pruritu narium ingrato, animi deliquiis, viſu fixo in unum idemque obiectum vexata, ut & appetitu ſaepiſſime pro-

ſtrato & menſtruis ſuppreſſis, helminthochorti propinatione alvo excrevit octo lumbricos praeter modum grandes. Exhibuimus tribus ultimis remedium forma decocti, eius nempe uncia dimidia coquebatur cum aquae fontanae unciis octo ad remanentiam unciarum quatuor, quibus edulcorandi fine uncia una mellis miſcebatur. Integrae huius verminoſae familiae mater, quadragenaria, convicta de evidentibus helminthochorti virtutibus anthelminticis, in ſemetipſa illud experiri cupivit, gravida licet fuerit, nullique illorum obnoxia incommodorum, quae turbare vulgo ſolent eos, qui vermibus infeſtantur, niſi quod levibus inteſtinorum puncturis, quae facile ſaburrae primas vias obſidenti tribui poſſunt, agitabatur. Huic quater licet exhibuerimus ſupra deſcriptum helminthochorti decoctum, attamen non niſi unicum eiecit vermem, cum evidenti dolorum levamine; hanc apponere obſervationem non incongruum putavimus, ut pateat vel graviditatis ſtatum non impedire huius remedii uſum, idque vel hic prodeſſe poſſe.

Obſervat. V.

Puella viginti annorum M... conquerebatur de continuo circa praecordia dolore, cui

iuncta adeo erat vertigo, ut corpus ſuſtinere impar fuerit, fame ſimul vexabatur nulla panis quantitate ſatianda, faciei color pallidus erat, ſaepe erumpebant ructus acidi, & corporis ſanitas alterata, menti ſuam valetudinem communicaverat; huic cum propinaretur quatuor vicibus helminthochorti decoctum ſupra deſcriptum, felici ſucceſſu excrevit cum ſordium inſigni quantitate duodecim lumbricos teretes. Exhibebatur id decoctum ſyrupo capillorum veneris edulcoratum ientaculi loco, ieiuno ventriculo, atque duabus circiter a coena horis.

Obſervat. VI.

Pulſu frequenti, febre valida, & vomitu eorum quae paullo ante ciborum nomine aſſumſerat, decumbebat in Noſocomio Civili Argentoratenſi vir viginti novem annorum FRIDERICUS SCHAEFFER, vexabatur is ſimul ventris tumore, eiuſque torminibus, atque frequenti gaſtrici liquoris in os aſcenſu, cum narium ingrato pruritu, cumque ita haud a vero abſimilem ſuſpicionem iniecisſet de vermium inprimis viis praeſentia, ſub auſpiciis Excell. Domini EHRMANN, Profeſſoris Extraordinarii & Noſocomii huius Medici Adiuncti, ſupra di-

Eti remedii decoctum ea dosi, eoque modo propinavi, quo observatio antecedens id describit, vidique omnia symptomata mox evanescere, quum duos lumbricos teretes ejecerat aeger spatio trium dierum.

Observat. VII.

Nutu eiusdem Praeceptoris mei Clinici, in eodem Nosocomio, quod mox laudavi, in adolescentulo quodam KAYSER, qui nondum decimum octavum annum egressus erat, helminthochorton tentare mihi contigit. Is tumido ventre onustus, anxius spiravit, doloribus tenebatur in hypochondrio sinistro, qui versus regionem epigastricam ducebantur, ita ut vel huic parti incumbere impossibile fuerit, tussi ingrata atque vertigine laborabat semper, & quoties corpus parum movebatur, in animi incidit deliquia. Tot, tantisque a vermibus productis malis idem opponebatur decoctum melle edulcoratum, quod supra dixi, vidique incantationis in modum quatuor dierum spatio prodire octodecim teretes lumbricos, & cum eis omnem malorum catervam fugere.

§. VII.

Modus agendi explicatur.

At ſi quaeras ex nobis, quo praecipue modo helminthochorton ſua miracula prodat, noli quaeſo credere nos hic portenti quid aut ſpecifici allegaturos eſſe, id enim ſerenis temporibus noſtris turpe eſſet, aut nos praemiſſis his prodigiis, nunc illud divendendum oblaturos, & dulci ſermone, veteratorum more verba daturos eſſe, quibus noſtrae praeprimis crumenae bene conſuleremus, in hoc enim veri, ingeniique Medici non ſunt conditi. Sed id potius volumus, hoc remedium omnium ſalſorum ad inſtar, mucum inteſtinorum, vermium nidum ſolvere, & irritando deiectiones promovere, quibus haec animalia ſive viva, ſive mortua, e corpore eliminantur, tandem ſuo ſtimulo chylificationis vias roborare, atque ita a futuris vermibus corpus praemunire. Salina vero eſſe vera anthelmintica, omni tempore adeo agnovere Medici (*a*), ut aquas Sedlicen-

(*a*) VAN SWIETEN *Comment. in Aphor.* BOERH. T. IV. §. 1371.

ſes, Ebshamenſes, Niederbrunenſes (*a*), alioſque his ſimiles ſemper laudaverint tanquam vermifugas; ut & ipſemet, ubi non ſat efficaciter expulerit vermes helminthochorton, eius vires exhibito poculo ſolutionis alicuius ſalis medii in aqua fontana adauxerim. Sic & rem bene iudicavit, pulchriſque tentatis ſuffulſit ANONYMUS (*b*), nautis enim ipſa aqua marina mane & ſero veſperi epota, & clyſmatis forma iniecta vermes expulit. At licet prodigioſi, & ſpecifici nil habeat helminthochorton multis tamen, & fere dixerim omnibus vermifugis palmam praeripit eo, quod eſt multo minus ingratum, quam cinae nauſeoſum ſemen; magis multo efficax, quam abſorbens & vix falſa corallina alba, mitiuſque multo agit, quam ricini oleum, aut praeparata mercurialia, aut & remedium *Noufferianum* (*c*), vel & illud *Herrenſchwandii* (*d*). Adeo ut omnibus, & ſingulis, cuiuſcunque & aetatis & temperamenti

(*a*) PETRI *Vom Niederbrumer Bad.* Argent. 1770. p. 28. & WEGELIN *diſſertatio duas circa vermes obſervat.* Argent. 1779.
(*b*) *Gazette de Santé* 1777. N. 31. p. 124.
(*c*) *Traitement contre les Ténia ou vers ſolitaires pratiqué à Morat en Suiſſe, examiné & approuvé à Paris, publié par ordre du Roi à Paris* 1775.
(*d*) VAN SWIETEN *Comment. in aphor.* BOERH. §. 1372. Tom. IV. p. 738. edit. Lugd. Batav.

& in omni fere morbo (*a*), cui ſe iungere verminoſa ſaburra poſſet, conduceret id remedium. Ut vere dicant, omnium vermifugorum facile eſſe id, quod tutiſſime, citiſſime, & iucundiſſime vermes e corpore expellit atque in omnibus aliis praeferendum erit, quod merebitur, ut in pharmacopolia introducatur, ſunt verba omnium fere, qui teſtimonia circa inſignem helminthochorti virtutem exhibuere (*b*). Rariſſime enim ter repetere doſin coguntur, cum intra viginti quatuor iam horas abſque ulla moleſtia, praecipue lumbricos infenſiſſimum homini vermium genus expellat, eoſque ſaepiſſime vivos, ut omnes ferunt Obſervatores, ipſeque vidi; non enim mortui prodiere, niſi ubi data aqua ſalina deiectiones alvinas promoveram.

Num vero quaecunque ſalis medii, aut alcalini in aqua ſolutio eundem contra vermes effectum exhiberet, ac helminthochorton, nec ne, aliis dirimendum mitto; iungit, unitque ſaepe natura duo corpora modo nobis incogni-

---

& ROSEN VON ROSENSTEIN *Kinderkrankheiten*, trad. MURRAY Ed. III. 1774. p. 522.

(*a*) STEFANOPOLI *Mémoire* paſſim & *Journ. de Méd. Octobre* 1779.

(*b*) Ib.

to, atque non ita facile imitando. Aliquid huc & facere insignior videtur ea viscidae mucilaginis quantitas, quae in nostra plantula deprehenditur, ex quo decoctum magis saturatum cum ea facimus, & quam primo intuitu moderare potius irritantis salis effectus putares; sed non ne idem circa ricini unguinosum oleum verum est? quod primum vermifugorum sese probat, & in quo irritans purgansque etiam velatum quasi est oleo pingui involvente. Meliora ceterum doceri parato, ignosce dubia.

§. VIII.

Exhibendi Modus, & Dosis.

Eo vero omnibus vermifugis praecipue praecellentissimum facile helminthochorton est, quod omni quasi sub forma & dosi aegris exhiberi possit. In substantia statim assumtum, nil quicquam ingrati, nec sapore, nec odore refert, ut facile sicca sub forma, vel non velatum nebula deglutiri possit, sed modo aqua, iusculo, syrupo, aut & lacte dilutum, praeferuntque hanc methodum omnibus reliquis (*a*), ubi aegri

(*a*) *Avis sur un puissant &c.*

aetas vel potius ratio animi id fert, atque tum doſis eſt pro infante, qui quartum nondum exegit annum a granis duodecim ad triginta ſex; ab hoc anno quarto ad decimum, ſcrupulorum duorum ad drachmam integram; maioribus natu drachma dimidia immo & duae porriguntur, rarius tamen hanc excedunt doſin; eam vero abſque noxa augeri poſſe noſtra evicit Obſervatio II. Sic quoque idem pulvis, pulchre melli, ſaccharove, aut & butyro miſçeri poteſt, panique vel illiniri, vel in electuarii formam reduci, vel & variis pulticulis nubi, aut addita farina, butyro, & aqua, in placentulas & bellaria formari, quae in oleo ſeu butyro calefacto friguntur, aut ante addito & ſaccharo, & butyro & farina artocreatum more in clibano coquuntur (*a*). Conditorum dein artem inde rotulas, trochiſcos, tragemata varia confeciſſe facile capiunt artis periti.

At infuſionis etiam & decocti forma exhiberi poteſt (*b*), doſibus iiſdem quas ſupra deſcripſi, aiunt tamen minorem pro decocto, quam pro infuſo doſin requiri (*c*), nec id pro modo, quo id remedium agere putamus difficile

(*a*) *Gazette de Santé* 1777. N. 26. p. 103.
(*b*) STEFANOPOLI *Mémoire* p. 24.
(*c*) L. c.

captu erit, namque tam infuſio in aqua fervida, quam decoctio in eadem, efficacem ſalem, quo plantula ſcatet, ſolvet, at cum decoctio plus ſalis aquae miſcebit, quam infuſio, illam huic praeferendam eſſe putamus, ſi nempe eadem doſis datur, ubi vero minuitur doſis pro decoctione, tunc eodem redire rem putamus, an duplicata doſis infundatur, an vero dimidiata decoquatur; nec erunt niſi ubique *ſpecifica* quaerentes (*a*), qui hanc rem ulteriorem diſquiſitionem requirete putabunt. Vulgo pro doſi drachmae dimidiae helminthochorti ſumunt unciam unam cum dimidia aquae, & tertiam menſtrui partem calore agunt in auras, reliquum filtratum addito melle, ſaccharo, vel alio quocunque corrigente, gratius redditum aegris offerunt. Infuſionem eodem modo quo eam Theae parant, confervam per aliquod tempus cum bulliente aqua infundunt, expreſſam filtratamque & edulcoratam epotat. Addere id liceat, haec eadem infuſa, & decocta delicatioribus clyſmatis forma iamiam fuiſſe iniecta cum fructu (*b*). At licet varii Auctores duce STEFANOPOLI ſollicite (*c*) tegi infuſionem

(*a*) Ibid.
(*b*) MARTIN *Recueil* p. 5.
(*c*) Ibid. p. 25.

praecipiant, cur id fieri debeat non videmus, cum nec odor, nec analyſis chemica, quidquam volatile quod per calorem in auras pelli poſſet, adeſſe deſignent.

Reverentiae in ſuum ſpecificum num debeatur, & deſiderio praeſtantiam eius clarius demonſtrandi, an vero ardori maiorem eius quantitatem divendendi, ambigimus, quod aſſerat, atque proteſtetur STEFANOPOLI (*a*) male aliis remediis, purgantibus praeprimis, nubi helminthochorton, eiuſque vires evidenter ſic minui, contrarium enim nos docuit obſervatio noſtra (*b*) coïncidens cum eis, quas dexterrimus MARTIN (*c*) allegat, ubi bonis avibus ricini oleum iunxit infuſioni huius confervae, id eſt olei ricini unciam dimidiam miſcebat cum infuſione helminthochorti, in qua plantulae drachma infuſa erat cum uncia aquae bullientis, eamque doſin repetere quavis dimidia hora iubebat donec aeger olei ſupra dicti uncias tres conſumſerit. Is idem contrarium quoque vidit in ſeptuagenario quodam, cui, cum omnia alia vermifuga fruſtra exhibita fuiſſent, iunctum reſinae ialappae atque ſyrupo cichorei cum rhabarbaro helminthochorton in

(*a*) Ibidem (*b*) §. antec. (*c*) *Recueil p.* 5.

mixturae formam, maximam vermium copiam expulit (*a*).

Ut ergo rem conferam in pauca, helminthochorton omnium vermifugorum minime ingratum eſt, tutiſſime & praeſtantiſſime agit, omni aetati, & ſexui, & ſtatui aegri, imo & non verminoſis convenit, atque ſub omni fere forma & doſi ſolum aeque ac cum appropriatis unitum exhiberi poteſt, ut rite aliis lumbricos expellentibus praeferatur.

§. IX.

Vires reliquae.

Magnum nunc morborum & rebellium & ſupernaturalium quaſi catalogum referre cogeremur, ſi omnes & ſingulos, quos vermium cumulus in corpore noſtro gigneret, helminthochorton vero expulſis his hoſtibus ſuperare valet, nominare nobis proponeremus, atque ita facile eſſet illud Antepilepticum, Antiſpaſmodicum, Anodynum, Stomachicum, Cephalicum &c. celebrare, id vero, ut longum nimis atque in-

---

(*a*) ℞. Pulv. Helminth. unam drachm.
Reſ. ialapp. pin. tr. ſcrupul. un. c. dimid.
Syrup. de cich. c. Rhab. unam unc.
Aquae Menth. unc. quat.
M. d. ad vitr. ſ. omni hora dimidia exhibeatur cochlear unum donec exoptatus ſucceſſus ſequatur.

utile mittimus, quis enim ignorat, nullum esse adeo singulare symptoma, aut morbum, quem verminosa familia non producere valeat, & iamiam produxerit, sublata vero caussa tolli effectum. Id vero volumus, alias quoque helminthochorto praeter vermifugas tribui vires, has rimari fas sit.

Salsum statim remedium, suo sale, succos & saburram tenacem, quae primas saepe vias obducit incidere, nullus facile negabit, ut sic aliorum salium vires exserere possit, atque ita leniter irritando, & motum peristalticum augendo attenuatos humores e corpore eliminare; num vero ideo *Absorbentis* titulum mereatur, dubitamus, non enim adeo evidenter sordes primarum viarum acidae sunt, nec alcalinae naturae confervae, atque sic perspicere non potuimus, quomodo STEFANOPOLI (*a*) inde *sal saponaceum purgans* produci crediderit, unde nam oleum desumit? viscida enim mucilagine repletam hanc plantulam esse, Graecum illum, felicem ceterum Practicum latuit. Cum dein praeter vermes, ut omnes norunt, vel in arte tirones sola quoque ductum intestinalem gravans, & irritans saburra tormina, tenesmos, &

(*a*) *Mémoire* p. 7. & p. 17.

omnes inteſtinorum difficultatum ſpecies procreare poſſit, hinc *diarrhoeas* a STEFANOPOLI & exper. Medico PARIS (*a*) inde curatus minime miramur, ut certe ipſi non putarint, qui principiis Medicis inſtituti ſunt hi viri, abſque diſcrimine in omni diarrhoea, ſpecifice competere hoc remedium; ſed ut ſalſum attenuare, expellere ſordes primarum viarum, tenacem mucum, vermes, totidem alvi fluxuum, dolorum (*b*), flatuum affectuum hypochondriacorum, & hiſtericorum cauſſas (*c*). *Tonicum* dein ubi nominatur ab eodem Viro Medico PARIS (*d*) id quoque ei non ſpecifice, ſed omni ſalſo competere, facile apparet; ut bene dicatur opponi temperiei debili, cacochymiae pituitoſae, fibrae laxae, atque obſtructionibus viſcerum chylopoïeticarum (*e*). Incidens dein remedium, lene ſtimulans tranſpirationem promovere, *diaphoreticis*, & diureticis annumerari (*f*) poſſe per ſe patet. Atque cum ipſa ſaburra primarum viarum, ut vermes mittam, putredinis & flatuum ſaepe cauſſa ſit, hinc *carminativum* ſimul helminthochorton & *antiſepticum* (*g*) depraedicari quoque poterit.

(*a*) L. c. (*b*) Ibid. p. 9. (*c*) Ibid. p. 10. (*d*) Ibid. p. 9. (*e*) Ibid. p. 10. (*f*) Ib. (*g*) Ib.

CAROLI STRACK

PROF. MED. MOGUNT. &c.

DISSERTATIO

DE

EPINYCTIDE.

Moguntiae 1776.

NEque vulgaris neque omnino rarus morbus ἐπινυκτὶς eſt; de quo & antiquiores olim medicinae Profeſſores, & ſuperiore ſaeculo aliqui celebres viri, multique novi proſtremis hucuſque temporibus Medici & ſcripſerunt, & diſputarunt; quorum nomina, quoniam ea nota ſunt, hic recitare ſuperfluum eſſe exiſtimo.

Ex his pauci (utique qui A. C. CELSUM veluti SENNERTUS ſecuti ſunt) aliquantum rectius ſcripſerunt; plurimi vero a recto longe abfuerunt. Quod in morbis, qui raro obtinent, fieri conſueſcit, quando per coniecturas ſcribitur, atque per opiniones diſputatur.

Et iam in limine a nonnullis diſputatur, Epinyctis quaenam morborum ſpecies ſit? ad Pſydraciamne, ad Terminthum, an ad Arabum Eſſere pertineat? quae quidem diverſae ſententiae, quoniam eae abſque rerum cognitione fuerunt, tanquam vanae & ſupervacuae repudiari debent.

Diverſa item curationum genera propoſita fuere, prout ſuos quaeque Auctores habebant, qui nihil laudabile nobis reliquerunt. Utique *cuius rei non eſt notitia, eius opinio certum reperire remedium non poteſt* (a).

Ego depoſita tali diſputationum contentione atque ſpreta ſupervacua iſta differentiarum perquiſitione hic ea proponam, quae Experientia in ipſis iſtius morbi curationibus docuit me.

Igitur, ut ſupra dixi, non vulgaris morbus Epinyctis eſt: ſiquidem in tanta tamque populoſa civitate Moguntina inter quamplurimos aegros per longos ſucceſſive annos non niſi duodecim ita affectos homines & videre mihi obtinuit, & curare eoſdem. Iidemque omnes ſimili modo ac ratione male habebant: neque eorum ſive aetatis ſive ſexus, ſive tempeſtatum

ſive

(a) A. C. CELSUS de Med. in Praefat.

ſive epidemicarum conſtitutionum, ſive valetudinis etiam ante vitiatae, diverſitas quicquam ex morbo alteravit. Unde patet, habere iſtum quidem morbum ſuam ſibi privatam cauſſam, neque poſſe eundem communi cuipiam vitio attribui. Quae res omnem opinionum differentiam expungit.

Eſt autem Epinyctis puſtularum genus, quod noctu erumpit, & magis quam interdiu excruciat: *peſſima puſtula eſt, quae ἐπινυκτὶς vocatur. Ea colore vel ſublivida vel ſubnigra, vel alba eſſe conſuevit: circa hanc autem vehemens inflammatio eſt; &, cum aperta eſt, reperitur intus exulceratio mucoſa, colore humori ſuo ſimilis. Dolor ex ea ſupra magnitudinem eius eſt; neque enim ea faba maior eſt. Atque haec quoque oritur in eminentibus partibus, & fere noctu, unde nomen quoque a Graecis ei ἐπινυκτὶς eſt impoſitum* (a).

Etſi enim aliqui ex his, quos ita affectos vini, aliquot dies ante male habuiſſent; nihilominus nulli horum aliqua puſtula interdiu evenit, omnes noctu eruperunt. Unde morbus

(a) A. C. CELSUS Lib. V. cap. 28.

item iure ἐπινυκτὶς a Graecis, a Germanis ideo der *Nachts-Brand* appellatur.

Ex his alii aliquot dies ante male habebant, quam puſtulas nocte acceperunt; alii nihil horum ſentiebant, ſed diluculo ita uri ſe puſtulis mirati ſunt.

Qui ita aliquot dies male traxerant, fatigata membra habebant, & toto corpore torpebant, faciem pallidam, collapſas genas triſtes cavoſque oculos habebant; & cibos nauſeabant; ſpiritum laſſe ducebant, atque arteriarum pulſum parvum, debilem, frequentem, aequalem habebant; neque inter haec, donec eruptae puſtulae fuiſſent, aeger ſive alſit, ſive arſit. Atque tale quidem morbi exordium Stadium Incubationis poſſet appellari.

Eruptis puſtulis dolor in plaga quemadmodum ex igne erat: maior, ubi puſtulae in uno loco convenere, & veluti cohaeſerunt: minor, ſi diſcretae atque procul invicem diſperſae eaedem fuere.

Ubi Epinyctis unicam tantum corporis partem occupavit (quemadmodum id iuxta quatuor aegros obtinuit) plaga quinque vel ſex pollices longa, & quatuor fere pollices lata erat; tota ubique profunde rubra: intraque eandem ſub tenui cuticula quamplurimae puſtu-

lae Lente non maiores extabant, tenui lympha refertae veluti ab uſtione: quarum plurimae, ut aqua fontis expertes coloris erant: his multae ſublividae, aliquaeque lividae interſedebant. Lividus autem color ipſe non puſtulae ſed ipſi infra cuti inerat.

Progreſſu temporis aliquantum ex rubro colore in plaga deletum eſt, atque alba in cute interſtitia evenerunt; quae nonniſi rubrum limbum cuique puſtulae circum reliquerunt.

Ad id temporis puſtulae, quae ſublividae ante fuerunt, factae lividae ſunt, lividae autem ipſe nigrae.

Poſt, rupta puſtula humor effluxit, laceraque cuticula ſauciae infra cuti incubuit eidemque adhaeſit, quae poſtremo inutilis ut furfur ſeceſſit.

Interea calor in rubro Limbo, qui nigras puſtulas ambiebat, intendebatur atque dolor, ortaque febre facta ſuppuratio eſt, quae corruptam cutim ab integra ſeiunxit, ibidemque locorum foveam reliquit, qualem variolae exedere conſueſcunt.

Atque ſic Epinyctis, cuius puſtulae omnes in una plaga convenere.

At diſcretae diſperſaeque puſtulae (quales octies vidi) ubi fuere, omnes ut eruperunt,

ſubnigrae erant: apertaque item puſtula humor effluxit, ruptaque cuticula nigrae infra cuti impoſuit ſe eidemque adhaeſit: poſt ambae exaruerunt adeo, ut nigra iſtius cutis portio dura evenerit, non ſecus ac corium candente ferro aduſtum. Paullo poſt ruber in integra cute circulus, qui corruptam eſcharam ambiebat, factus profundi coloris eſt, in eodemque ortus maior calor eſt, qui pus coxit; quod corruptam partem a ſana ſeiunxit. Purgato ulcere facta cicatrix eſt, quae foveam reliquit.

Porro, diſcretae puſtulae cohaerentibus maiores erant, lentis nempe aut piſi latitudine, vix faba maiores. Unica foemina ampulas nuce moſchata maiores habebat.

Denique Epinyctidis puſtulae omnes ex tenera raraque corporis cute eruperunt: nunquam ex denſa. Etenim decem aegri puſtulas e lumbis ſuprave abdomen aut verſus pubem habebant; duo aegri tales iuxta pectus atque ſecundum collum; neuter in dorſo brachiiſve aut cruribus.

Poſtremo neque & hoc praetereundum ſed notatu dignum eſt, Epinyctidem ſemper eandem & ſibi omnino ſimilem fuiſſe tam in integris corporibus, quam in his, quorum valetudo antiqua aliqua labe ante vitiata fuerat. Prehen-

derunt enim Epinyctides quinque prosperae valetudinis Infantes: unam foeminam, quo tempore febre tertiana laborabat; unam virginem, quae mensibus gaudebat; alteram, quae occulto mammae cancro male habebat, virum unum, de quo, quod podagrico atque venereo miasmate affectus esset, suspicio erat; item, senem tympaniticum, quem arthritica colica exagitabat; denique septuaginta annorum vetulam, cuius mammam ulceratus cancer exedebat; postremo mulierem anno 1775. quo tempore & fluxiones & ophtalmiae, & lippitudines & eruptiones ad labia, & variolae & morbilli, & scarlatina febris, & erysipelata & ambustiones populares erant. Diversos omnes hos Epinyctis similiter male habebat.

Ex quo capite ad credendum persuadeor; Epinyctidem a singulari atque privato quopiam miasmate excitari.

Ut autem siniſtra valetudo, quam antiqua labes ante vitiaverat, nihil ex Epinyctide mutavit; ita Epinyctis ipsa, si supervenit, nihil ex morbo, qui ante insedit, alteravit. Contra (quod maxime mirum videri posset) eiusdem pustulae ex integris partibus, procul a corruptis eruperunt. Eruperunt nimirum supra ventrem atque iuxta pubem quinque Infantum prosperae

valetudinis: eruperunt procul ab obſcoenis partibus viri, qui ob venereum venenum ſuſpectus erat: eruperunt in regione renali virginis infra eandem mammam, quae cancro occulto affecta erat: eruperunt item ſupra pectus iuxtaque collum tympanitici, qui arthritica colica laborabat, & ventrem ipſum expertem reliquerunt: eruperunt denique omnes ex adverſo in integra corporis parte a ſterno verſum latus ſupraque collum vetulae, cuius mammam cancer exulceraverat; contra nulla erupit, quo latere ulcus erat. Quae res item ſingularem mali indolem ſignificat.

Atque talis quidem Epinyctis erat. Sequitur curatio, qua cum profecto uſus ſum. Haec in univerſum duplex erat: altera quae puſtulas implere iuvit, altera quae pus perfecit.

Rectius autem in quatuor ſtadia morbus diſtinguitur; quorum primum Incubationis, alterum Eruptionis, tertium Coctionis, quartum Suppurationis ſive Depurationis iure nominari poteſt.

Incubationis ſtadium illud morbi primordium appello, intra quod natura veluti homo Incubo oppreſſus, vitiata iſta materia aliquot dies ante quatitur, quam victrix eandem extus pellit. Id, ut ſupra memoravi, non ſaepe ob-

tinuit: ſed contra plurimi eorum, quos accepi, protinus a puſtulis aegrotare coeperunt quin, veluti ipſi quidem retulerunt, aliquod futuri morbi indicium pridie habuiſſent.

Ubi puſtulae extant, morbus patet; eiuſdemque cognitio, quoniam certa eſt, certum utique reperire remedium poteſt. Non item cum morbus aliquot dies trahit, antequam puſtulae erumpunt. Incertum enim eſt id, quod futurum eſt; maximeque in morbis, qui ſimilia initia habent, neque certas ſibi notas retinent. Quae res, quoniam incertum iudicium efficit incertam quoque medelam reddit.

Quare operae pretium facturum me eſſe exiſtimo; ſi eas notas hic poſuero, per quas ante noſci poſſit, Epinyctidis materia quod intus lateat.

Igitur, ut ſupra recitavi, ſi abſque manifeſta ratione fatigata membra ſunt, totumque corpus torpet, ſi facies pallida eſt, ſi collapſae genae, & triſtes cavique oculi ſunt, ſi aeger cibos nauſeat, & ſpiritum laſſe ducit; ſi arteriarum pulſus parvus & frequens debilis atque aequalis eſt, nec inter haec aeger vel alget vel ardet, neque vomendi deſiderio angitur; ſcire licet, ſphaceloſum miaſma, cuius generis Epinyctis eſt, intus reſidere, quod extus pelli debeat.

Ubi id cognitum erit, protinus medicamentis reſtaurantibus ſuccurrendum eſt; ſcilicet his, quae ſuppreſſas naturae vires excitent, eandemque in expellendi opera adiuvent.

At ubi morbus ſive corporis ſive medicinae beneficio explicuit ſe, ipſaeque puſtulae, veluti ſaepius obtinuit, extant, certior medicina eſt. Potus nempe calidus non nimium aromaticus eſto; cibus, cremor ptiſanae; medicamento autem mixtura ex aquae florum ſambuci unciis ſex, roob ſambuci drachmis duabus, & nitri ſemidrachma, adiecta ſyrupi rubi idaei uncia: ſcilicet ut his vitioſus humor extus feratur quo natura tendit; utique per cutim tanquam locum conferentem. *Quae ducere oportet, quo maxime repunt, eo ducere oportet per convenientes, locos* (*a*).

Per haec atque progreſſu temporis, quidquid intus adverſi eſt, idem omne erumpit, turgent puſtulae totaque plaga (nempe quae in cohaerentibus puſtulis omnis rubra ante erat) nunc in areolas, quae puſtulas ambiunt, diſtinguit ſe; arteriae ipſae liberalius moventur, atque ſanguine implentur, earundemque pulſus maior fit: proveniunt oculi, facies ipſa colorem flo-

(*a*) HIPP. Aphor. 21. Sect. I.

remque recipit, totumque corpus torpor dimittit. Poſt rumpuntur puſtulae, atque ſuum humorem emittunt: deinde rubor ipſe a puſtulis albis evaneſcit, ſiccaeque puſtularum pelles furfuris inſtar decidunt.

Aliter autem res iuxta nigras puſtulas ſe habet, quales diſcretae diſperſaeque eſſe conſueſcunt; & non paucae intercohaerentes. Etenim calor atque rubor in circulo, qui eas ambit, intenditur; nova oritur febris, arteriae intenſius moventur, earundemque pulſus plenus, frequens & celer evenit: circumque & infra corrupta ſtigmata inflammatio eſt, quae pus coquere debet. Quare etiam iſtud morbi curriculum Stadium Coctionis appello.

Ad id temporis aquam Potui do, cibo vero cremorem ptiſanae, adiecto citrei ſucco: medicinae autem item mixturam, quam ſupra poſui, ammiſtis extracti corticis peruviani drachmis tribus; ſcilicet ut per iſtud quoque generoſum remedium & puris coctio perficiatur, & nequid ſphacelus circum offendat.

Confecto pure corruptae partes ab integris ſeparantur; depuratoque ulcere cicatrix fit, quae foveam relinquit. Ultimum iſtud ſtadium Depurationis eſt.

Neque iſte morbus obnoxius recidivis erat,

Utique *quidquid ſuppuratur, non revertitur. Ipſa enim maturatio & iudicatio ſimul, & abſceſſus* (*a*).

Atque talis quidem mea Epinyctides curandi ratio hucuſque fuit, quae, etſi enim diverſa ab aliorum auctorum opinione ſit; nihilominus nunquam fefellit me.

(*a*) HIPP. de morb. popular. Lib. VI. Sect. 3.

ODOLPHI MURRAY

MED. ET CHIRURG. PROFESS.

DISSERTATIO ACADEMICA

D E

SENSIBILITATE OSSIUM MORBOSA.

Upſaliae 1780.

§. I.

SI quis unquam mortalium, per ſua merita, immortale ſibi peperit nomen, certe illuſtriſſimus ab HALLER is eſt, quem ultima venerabitur & maximi faciet poſteritas.

Singula enim eius Anatomica & Phyſiologica Scripta (de ceteris alii iudicent) tantae eruditionis, & in perſcrutandis naturae myſteriis, ſagacitatis produnt documenta, ut quempiam illi aequiparandum vix ac ne vix quidem iuſtus rerum arbiter inveniat: praecipue vero gloriam eius adauget, quod in enodandis diffi-

cillimis Phyſiologiae partibus ſollertiſſime deſudaverit, inque iis plura, quam ante illum ullus, praeſtiterit.

Ut vero unicum, quod ad materiam in hac Diſſertatione pertractandam ducet & ſummae eſt celebritatis, documentum adducam, nemo ſane doctrinam ſenſibilitatis & irritabilitatis mille experimentis ab eo enodatam & ſtabilitam perleget, quin ſumma perfundi ſe admiratione ſentiat Viri, qui ad hanc Phyſiologiae partem illuſtrandam & ab erroribus repurgandam ultimos adhuc vitae annos impendere grave non duxerit. Praeſenſit enim emolumenta maxima in totum genus humanum ex hac doctrina redundatura, hique ſuaviſſimi ſtimuli ad laborem difficillimum perficiendum incitarunt animum eius, ſuperabiles omnes ſpernentem difficultates. Erat enim contra falſas magnorum Virorum opiniones per experimenta in vivis animalibus inſtituenda dimicandum. Quum vero animadverteret, plurimos errores ſaepius repetitis obſervationibus unice profligandos per minimam in experiundo negligentiam facile exoriri, alios neutram in partem inclinantes, eoſque ſagaciſſimos Obſervatores ad eadem pericula invitavit; quo coniuncto ſtudio doctrinam hanc demum certiſſimis ſuperſtrueret fundamentis.

§. II.

His ſuis itaque conaminibus limites genuinos inter ſenſibilitatem & irritabilitatem animantium praeſcripſit, ut non ſolum pro certo ſciamus, fibris muſcularibus unice irritabilitatem competere, nervoſque ſenſus acerrimi eſſe participes; verum etiam has duas corporis facultates nullam habere cognationem; muſculo enim tacto, in ipſa eius carne mutatio ſubita & efficaciſſima exoritur, quae tamen ulterius non defertur; ſi vero nervus a corpore quodam attingitur, nullam ipſe ſenſibilem mutationem ſubit, verum impreſſiones ei illatas ad cerebrum propagat, ibique animam de contactus indole & vigore conſciam reddit.

§. III.

Sed nervos eoſque ſolos ſentiendi facultate eſſe praeditos, parteſque omnes, quibus nervi deſunt, ſenſu etiam deſtitui, altera eaque probatiſſima eſt HALLERIANA adſertio. Licet enim nonnulli magni nominis Viri, inque his divus BOERHAAVE & BIANCHI totum corpus ex nervis componi crediderint, ſubtilioribus

tamen diſſectionibus & ipſis experimentis in vivo animali inſtitutis didicimus, tum nervis tum ſenſu quaſdam carere partes. Sic duram piamque matrem, arachnoideam tunicam, tendines, ligamenta omnia, perioſteum, latiſſimas membranas, pleuram nempe & peritoneum, telam cellularem, nullam nervi fibrillam in ſuam intimam compoſitionem admittere, & ſine doloris ſenſu ſauciari atque laceſſi, ex plurimis certis experimentis novimus. Negari quidem non poteſt, a validiſſimis Adverſariis ſententias has fuiſſe oppugnatas; eorum vero argumenta plurima, ratiociniis aſſutiſſimis potius, quam experimentis ſtipata, repetitis non ſolum noviſque experimentis HALLERUM ipſum deſtruxiſſe, verum etiam cauſſas errorum, & in argumentando fallaciam detexiſſe, merito gaudemus.

§. IV.

Cum enim funiculi nervorum tela cellulari inter ſe & ad partes appoſitas ligentur, eiuſque ope numeroſi nervuli in ſuperficie tendinum & capſularum ad deſtinatas ſedes decurrant, omnis cura adhibenda erit, ut prius a membranis ſuis celluloſiſque vaginis vel carne ex tendinum ſuperficie in ulceribus efflorescente, repurgentur

partes irritandae, ne ſenſus ſub experimento inſtituendo excitatus his adſcribatur, qui nervis tamen circum repentibus debetur. Contra hanc cautelam non adeo facilem obſervatores adverſantes peccaſſe, ipſa nos docet experientia. Altera eſt cautela, ut ſana nullaque labe infecta loca inquiſitioni ſubiiciantur. Nam, ſi vel maxime non nunquam pari eventu ſuſceptum experimentum in membris morbo affectis ſuccedit, commutationem tamen aliquando tantam ex morbo partes ſubeunt, ut tendinum e. gr. ipſa exterior ſubſtantia reſolvatur, huicque reſolutioni nervi, extus in celluloſa circum ludentes, admiſceantur, adeoque tendinum maſſas corruptas ſenſiles inveniamus, quas in aliis animalibus ſaniſque inſenſibiles deprehenderemus.

§. V.

Hanc vero alterationem ſingularem inſenſibilium partium nullam citius ſubire puto, quam ligamenta, & niſi ex ipſa eorum ſtructurae tranſmutatione morboſa rationes phaenomenorum eruere liceret, parum abeſſet, quin in eam fallacem licet abriperemur ſententiam, ut partes nervorum plane expertes, morboſa ſub conſtitutione, ſenſum ſtatueremus adipiſci. Etenim ſi

vulnus quoddam ligamentis ſanis infligitur, aut tota capſa articulatoria ad evacuandam aquam aperitur, perforatur, amburitur, cauſticis liquoribus irritatur, ne minimo doloris ſenſu adficitur homo: quando autem pure clam collecto, decubitu humorum lento & acri fungove ſtructura ligamentorum ipſa patitur, inciſiones non ſolum dolorificae eſſe ſolent, verum etiam aegri continuo dein dolore non raro excruciantur, in convulſiones & ſpaſmum cynicum cito aliquando abeunte. In his autem morbis lente prorepentibus ligamentorum textura maximam ſubire ſolet mutationem; humore nempe ſtagnante & irritante, celluloſa tela ipſa, tam ea quae fibras ſingulas ligat, quam quae ligamentoſas fibras formavit vel exterius ſtratum totum obtegit, excreſcit, turget & adeo evolvitur, ut ipſum articuli volumen augeatur, & nervi inter extima ſtrata leviter antea decurrentes, non ſolum fortius ad ligamenta revinciantur, ſed ab ipſa morboſa ſubſtantia quaſi circumvelentur & includantur. Et, ſi coniicere liceat, vero ſimile videtur, nervorum ipſorum telam cellularem, ſingulas fibrillas in faſciculos colligantem, irritatam evolutione nova adaugeri, quo fibrillae, ſine ulla interioris medullae irritatione in latiora ſpatia diſperſae, multo plura quam in ſtatu

ſano

ſano loca, externae violentiae impatientia red-dunt. Etenim in pleriſque nervis a cerebro remotis, non ſolum faſciculi cylindrici, nuſquam confuſi, ſed ad finem uſque diſtincti, verum etiam horum nervuli minimi, microſcopio vix diſtinguendi, ſi arte ſeparantur, tenera cellulo-ſitate obducti & ligati conſpiciuntur, eaque cellulo-ſitas adeo non nunquam augetur & dure-ſcit, quod in iſchiade nervoſa ſemel obſervavi, ut triplam nervus adquirat craſſitiem. Praeterea diu afflicti nervi & in pauca puncta vi quadam continuo laceſſiti multo acriores, cum denique irritantur, in anima excitare videntur ſenſatio-nes, quam cum antea nullam perpeſſi fuerunt iniuriam; unde etiam prono alveo fluit, quod ab acri materia, circa articulos collecta, vel alio modo irritati nervi vehementius vi illata afficiantur.

§. VI.

Ab iiſdem fere cauſſis ſenſibilitatem telae cellulo-ſae ſingularem, quam ill. MECKEL nu-perrime defendendam in ſe ſuſcepiſſe videtur, derivandam eſſe reor. Nam cum nervi quem-cumque ſtimulum perſentientes tantum impe-rium in arterias exercent, ut, ad averruncandum

ſtimulum, humores ad loca ſtimulata derivent & ipſum ſanguinem per vaſorum parietes in tela cellulari exprimant, ſenſibilitas vero eorum a ſtimulo perpetuo agente adeo increſcit & cum circumiacentibus ita communicatur, ut leviſſimo tactu ventique halitu moleſte tota pars afficiatur; id noſtram admirationem movere non debet, quod quaecumque fibrilla ab inflammatione vexata ad tactum nunc doleat, noſque ſentientium locorum limites cum inſenſibilibus confuſas exiſtimemus. Sub omni praeterea vel lenta vel violenta inflammatione nova filamenta cellularia evolvuntur, telaque cellularis prius exiſtens tam variis ſubiicitur mutationibus, ut in locis ſaepe, ubi parca fuerat, exuberet, in aliis vero in arctiora vincula concreſcat, adeoque priorem nervorum curſum non tantum perturbet, verum etiam iis in locis, ubi antea nulli fuerint, alios recipiat atque condat, veluti novi furculi nervorum hic ſub inflammatione progerminaſſent.

Sed aliud demum phaenomenon ſingulare adhuc eſt adiiciendum: videmus nempe, cum magnam ſemel ſubierunt nervi vehementiam, quod impreſſiones communicatae, morbo profligato, ſuperſtites ſaepe maneant, hiſque nervis multo iam delicatiorem ſenſum ineſſe. Singula-

ritatem hanc praecipue in iis obſervamus, quibus natura multo ſubtiliores dedit nervos, quorumque corpus debilitate quadam nervorum laborat, qua ad impreſſiones retinendas aptiores & ad ſenſationes a minimo ſtimulo excitandas procliviores reddi videntur. Et ex his coniunctis cauſſis forſan ſenſibilitas celluloſae ſcroti, quam cel. MECKEL in illuſtri hernioſo obſervavit, exorta fuit. Nam quod ingens numerus nervorum in ſuperficie darthi circumvagetur, darthus vero ipſe & celluloſa ſubiacens, licet nervuli quidem eam permeent, nulli vero ibi permaneant, inſenſibilis ſit, non diſſectiones tantum teſtantur, verum quoque operationes chirurgicae ad hydrocelen radicitus curandam inſtitutae. Dartho nempe diſciſſo, nullo de dolore amplius queritur aeger; ſi vero lenta inflammatione vel acri quodam humore prius ſcrotum teſteſque corrupti fuerunt & nervi ſupra dictam ſubierunt mutationem, ad unumquemque cultri ictum aeger dolore quaſi fulmine percutitur.

§. VII.

Allatae circa cellularis telae apparentem ſenſibilitatem rationes ad explicandum oſſium

ſenſum, quem hiſce pagellis pro ingenii mei modulo tueri volui, parum conferunt. Magni nominis Viri eam in dubium vocant, & aperte negant, nervos ad oſſa deferri, quum oſſa ſana terebratula ſine doloris ſenſu perterebrentur. Expendamus igitur argumenta, quibus de ſenſibilitate oſſium convincamur iiſque alia contrariam ſententiam confirmantia adiiciamus; ne ſine ſuffitienti ratione partes ſummi HALLERI in hac re deſeruiſſe videamur.

§. VIII.

Quemadmodum omnes partes nervis carentes nulla ſenſatione eſſe praeditas, veritati atque experientiae quotidianae conſentaneum eſt, & ad explicanda phaenomena in oeconomia animali obvia confert; ita illud certe, quod celeb. CALDANI (*a*) protulit, contendens, non omnia loca, quae nervis ſunt inſtructa, perceptibili praedita eſſe ſenſatione, ad nodum hunc gordium ſolvendum maxime idoneum invenio. Plura exempla adferri poſſunt ſententiam hanc affatim confirmantia. Hepar, ſplen, re-

(*a*) HALLER Mémoire ſur l'irritab. & la ſenſib. T. III. p. 71.

nes, pulmones & vaſa arterioſa nervos accipiunt plures, cum vero ſubtiles ſint & tenuiores, viſcera haec, ut & vaſcula fere inſenſibilia deprehenduntur, ita ut nullo fere doloris ſenſu a cauſticis laceſſi & inciſionibus irritari poſſint. Inflammationes, quae graviores comitantur ſuppurationes, in hiſce viſceribus detectae fuerunt, nullis omnino ſignis praeeuntibus. Quid? quod ſaepe uterus, magno nervorum plexu ditatus, inflammatur & ſub partu laeditur, immo in operatione caeſarea cultro aperitur ſine magna violentiae ſenſatione. An vero hiſce partibus, quae, licet nervos habeant, attamen parum vel nihil ſentiunt, oſſa ſint adnumeranda, quaeſtio eſt, quae, quamquam variis iiſque difficillimis premitur difficultatibus, noſtram meretur inveſtigationem. Binae enim viae, quibus exiſtentia nervorum in parte aliqua demonſtrari ſolet, artificioſa nempe nervi diſſectio, vel ſi ob ſubtilitatem hoc fieri vix poteſt, experimenta in animantibus inſtituta, ad oſſa quod attinet, tam lubricae & erroribus obnoxiae eſſe videntur, ut omnia tentamina nil niſi incertum rerum prodant ſtatum. Summi etiam Anatomici de nervis oſſium ambigue loquuntur, ſique nonnulli eos prorſus negent, alii pauciſſimos, non ubique, ſed in nonnullis tantum locis diſ-

perſos admittunt; vel alteram, licet timide ineuntes viam, eorum exiſtentiam experimentis ſuffulti vel negant vel vix admittunt. Ill. HALLERUS (*a*) aperte dicit, pauciſſimos oſſa per tubulos ſuos arteriarum ſodales penetrare, oſſa plana vero, ut in cranio, nullos, qui innotuerint: quam leve pretium autem his cognitis adſcribat, ex alia aſſertione magni huius obſervatoris (*b*) perſpicitur, cum oſſa non ſentire dicit.

Et ſane rationes non deſunt, quibus eorum in oſſium nervis detegendis impotentia expurgari poſſit. Nervi enim in artubus, alias durioribus membranis obducti, muſculos penetrantes, vel ſuper oſſa decurrentes, in adeo ſubtilia filamenta abeunt, ut acutiſſimi plures obſervatoris oculum effugiant, nec ſubtiliſſimum inſtrumenti tactum ob mollitiem pulpae cerebri ſimillimam ferant. Quo propius etiam nervi ad fines ſuos veniunt, cylindricam ſuam amittere videntur formam, & in planam quaſi faſciam aegre ab ipſis cellulofis filis fortioribus diſtinguendam extendi. Hanc facile decipientem formam plurimi 5.ti 7.mique paris & cer-

(*a*) Element. Phyſ. Lib. X. T. IV. p. 198.
(*b*) Ibidem p. 272.

vicalium nervi ſuper cranium circumvagantes, plexus hypogaſtrici abdominis ſurculi multique alii acceperunt; unde non mirum, quod cum deſcriptionibus auctorum adeo raro diſſectiones ex aſſe conveniant & difficilius iidem detegantur nervi.

Arterias nervos frequentes comitari & communi cellulosa cum illis irretiri, ubicumque videmus. Raro enim truncus nervi maior longum incedit ductum, ſine arteriae cuiuſdam comitatu, quod in nervo crurali & iſchiatico eſt videndum, ſed nervus phrenicus ſuum etiam habet comitem, nervi brachiales, plerique nervi muſculorum ſuos. Quo ſubtiliores vero evadunt, eo fortius arteriis adglutinantur, ut ab iis ſeparari nequeant, nec ſine acutiore diſquiſitione pateat, an arteria ſine ſodali nervo incedat. Eodem porro modo, quo arteriolae ſurculos ſubtiliſſimos emittentes, cellulas tenuiores obambulant, nervi pariter ramoſi, retia nervea utcumque formantes, ſuperficiem telae cellularis circumlegere videntur. Mirari igitur non licet, quod veterum plurimi; totque recentiores telae cellulari, perioſteo atque pericranio ſentiendi vim adſcripſerint, cum in ipſa harum membranarum ſuperficie ſurculos nerveos detegere potuerunt & experimentis; etiamſi falla-

cibus, ſententiam comprobari autumarunt. Ab hoc errore cel. CHESELDEN & ſummus HALLER, cum ſuis illuſtribus aſſeclis, inter quos cel. CASTELLIUM, FONTANAM, TOSSETTUM & CALDANUM nominaſſe ſufficiat, innumeris ſuis experimentis, nos iam diu liberarunt, diſceptationem de ſenſatione oſſium aliis relinquentes.

§. IX.

Quamquam igitur difficile nervos ad oſſa uſque proſequi liceat, & a perioſteo ad alias tranſcurrere partes videantur, in nonnullis tamen locis eos ad canaliculos oſſium deducere poſſumus. In tuberculo occipitali, muſculis inſertionem praebenti, praeter vaſa plura penetrantia, nonnulla fila nervorum cervicalium ſubtilia arteriarum ductum ad ipſam oſſis ſubſtantiam ſequi videntur, & ramuli quidam ſubtiliſſimi temporalium profundiorum, crotaphitide penetrato, alis ſphenoidalibus maioribus ſe immittunt. Plures in cranio detegere non potui, ſed in artubus multo facilius procedit labor; nam in oſſis brachii apertura, ſulco bicipitali vicina, in femore prope lineam aſperam, in tibiae facie poſteriore & ſuperiore, inque cal-

canei latere interno cum ipſis arteriis nutritiis nervi immerguntur, arteriae in ductu ſuo revincti. Non deſunt igitur exempla nervorum offium interiora penetrantium.

§. X.

Altioris vero indaginis exoritur iam quaeſtio, quomodo nervuli hi offium diſpergantur, utrum omnes ad medullam offis tendant, an vero nonnulli in fibris ipſis offeis ſubſiſtant. Omnis, quaecumque tandem fuerit, ſubtilior diſſectio in hoc negotio deluditur & per experimenta in vivis inſtituenda, veritas unice erit enodanda. Primus ergo, ni fallor, cel. DUVERNEY (a) fuit, qui medulloſo farcimini, tenerrima pellucida cellulositate arachnoideae ſimili extrinſecus obducto, inque minora, multiformia, veſicularia loculamenta diviſo, certis argumentis ſenſibilitatem adſcripſit, licet divus HIPPOCRATES iam adſerat, vulnera offium ad medullam penetrantia, deliria ob dolorem excitare. Contendit enim, arterias, venas nervorumque propagines, communi vagina cellulari

(a) Mémoires de l'Acad. des Sciences, Paris A. 1700. p. 196. item Oeuvres Anatomiques 1761. p. 352.

incluſas & canaliculos oſſium permeantes, in ſuperficiem huius membranae infinite multos emittere ramulos, eoſque cum medulla eam vitalitatem communicare, quam in ſequentibus detexit experimentis. Quum enim tactu ſudiore medullam eorum, quibus crura vel brachia amputata erant, laceſſens, aegris eo dolores excitari obſervaret, aliis magis convenientibus experimentis eadem tentamina in animantibus inſtituit. Femur nempe vivi animalis, carne omni membraniſque diſciſſis, ut os ab omni parte nudum eſſet, ſerra detruncandum curavit, cumque inde vehementibus cruciatibus angeretur animal, ab experimento tandiu deſtitit, uſque dum tranquillitatem priſtinam recuperaret animal, tumque ſtylum in medullam intrudit, quo vehementiſſime ſenſationis prodebantur ſigna. Harum obſervationum certitudinem celeb. ALEX. MONRO quoque (*a*) diſſectionibus ſuis innixus, defendere non dubitat, nec minus clar. DEVENTER & BERTIN (*b*); eadem ſub experiundo phaenomena ſaepenumero viderunt. Si vero contra haec acute obiiciunt adverſarii, animalia tot praeeuntibus inciſionibus

(*a*) The Anatomes of human bones, Edinburg. 1741. p. 20.
(*b*) Traitè d' Oſteologie p. 216.

prius adeo fuiſſe exagitata, ut veteri liceat, ne dolor, quem a nova irritatione derivant, potius a priore fuerit excitatus, cum adeo difficile ſit ſub eodem experimento noves a praegreſſis diſtinguere ſenſationis effectus ; eamdem certe contra alia experimenta; quae partium denudationem requirunt, ferri poſſe exiſtimaverim obiectionem, licet vana eſſet, ſi cautelae a cel. DUVERNEY adhibitae rite obſervantur. Confirmatur etiam haecce ſenſibilitas medullae cel. BORDENAVII experimento (*a*), cum ſine praeeunte violentiore laniatione, canalem oſſis cuiuſdam aperiret, & irritatione membranae medullae animal doloribus affici vivis, videret. Sique dubium quoddam eo tempore nihilo ſecius contra ſenſibilitatem medullae ei haerebat, illud experimentis cl. TROIA (*b*) profligatum eſſe ſperamus. Hic enim, cum ad enodandam difficilem circa regenerationem oſſium materiam columbarum canumque femora amputaret, & medullam ſtylo immiſſo deſtrueret, violentiſſimi doloris ſigna conſtanter edere animalia, vidit, prioris iniuriae immemora.

(*a*) Mercure de France Iun. 1757.
(*b*) De novorum oſſium regeneratione, Lutetiae 1775.

§. XI.

Morbi denique medullam adgredientes ſenſibilitatem eius in aprico collocare videntur. Quando enim medulla oſſium, mitem ſuam, per humores lue venerea, ſcorbuto, ſcrophulis atque rachitide inquinatos, amittit naturam, & in acrem putridamque ſaniem commutatur; inflammationes clandeſtinae mox exoriri ſolent. Sub his autem in meditullio ipſo citius tardiuſve dolores excitantur atrociſſimi, fixi, nunc continui, nunc pungentes, & cum calore atque pulſatione interna coniuncti. In ipſo denique canali abſceſſus generantur, ſubſtantiam ipſam oſſis in omnem ſenſum dilatantes & carie illam intus deſtruentes. Dolorem vero hunc in ipſo eſſe eiuſque medulla reſidere, inde patet, quod partes oſſa obtegentes, ſub initio morbi nulla ſint contaminatae labe, rumoris elevati preſſio nullum doloris incrementum faciat, calida vero intus ſumta vel externe applicata eum adaugeant, quodque, cum demum caries ipſam ſuperficiem deſtruxit, oſſea ſubſtantia in pumicem quaſi converſa, aliquando ad tactum ſummam prodat ſenſibilitatem. Terribilem hunc morbum a PETRO DE MARCHETTIS, M. A. SEVE-

RINO multiſque aliis deſcriptum, ſub ſpinae ventoſae nomine novimus, eumque a nodis rachiticorum indolentibus diſtinguimus, licet inficias non ſit eundum, ſpinam ventoſam extrema oſſium praecipue adgredientem, in principio morbi, quo aliquando oſſa unice inflata apparent, nec ſemper dolent, cum iis magnam habere ſimilitudinem. Exoriente vero dolore profundo, cute etiamſi adhuc intacta, malignam, cancro comparandam, tumoris indolem mox agnoſcimus. Spinae ventoſae praeterea extremitates oſſium non ſolum adgrediuntur, verum etiam alias oſſium partes, ut diaphyſes & ipſum cranium. In diploë cranii RIOLANUS iam humorem invenit collectum, acerbiſſimi doloris atque exoſtoceos cauſſam, & BONETUS in *Sepulcreto* ſuo immedicabilis doloris rationem a ſanie inter binas cranii tabulas derivat. Saepe etiam abſceſſus in internis oſſium latebris ſine oſſium intumeſcentia generantur, qui ſummos, & cum perforatione oſſis ſolum levandos, excitant cruciatus.

§. XII.

Sententia noſtra de ſenſibilitate medullae oſſium, quam etiam ill. HALLER aperte ne-

gare non videtur, ſic declarata, alteram eamque multo difficiliorem attingamus quaeſtionem, an nempe oſſea ſubſtantia ſenſu ſit praedita? Nervos nonnullos canales oſſium penetrare audivimus, ſed cum diſſectione Anatomica fibrillas ipſi ſubſtantiae ſeſe immergentes detegere non valeamus, plures celebratiſſimi Viri ipſam naturam viventem conſulere allaborarunt, cumque ſub ignis (*a*), butyri antimonii, ſpiritus nitri fumantis aliorumque corrodentium applicatione, & ab ictu, roſione atque ipſa oſſium perterebratione nullum doloris ſenſum exortum fuiſſe obſervarunt, omnem oſſibus ſenſationem abrogare non dubitarunt. Quid? quod cel. CHESELDEN, HALLERUM, CALDANUM & VERNAM, cet. teſtes habemus oculares, quod cranio in aegris, ſenſus & mentis optime compotibus, ope trepani, perfoſſo, hi ſciſſitati declararunt, ſe nihil ſentire, nec ullo ſub operatione angi dolore. Perforativo etiam & radula Chirurgi ſuperficiem oſſis corruptam ſaepe abradunt ſine ullo aegri incommodo.

Sed pulchra etſi haecce experimenta primo intuitu totum diſquiſitionis cardinem ſuſtuliſſe

---

(*a*) Mémor. ſur l'irrit. & ſenſib. Epiſt. CALDANI T. III. p. 36.

videantur, puto tamen, illis nil aliud demonstrari, quam quod ossa sana vel leviter corrupta omni sensu sint expertia, nervique latentes; si qui adsunt, naturalem suam facultatem non exserant. Sic etiam cel. CALDANI, cum de insensibilitate nonnullarum partium agit, sequenti ratione caute se exprimit; „ aut nulli in iis partibus, quas insensibiles praedicavimus, inveniuntur nervi, aut si quidam existunt, ii talem videntur induisse indolem, ut impressiones externas recipere atque transmittere non valeant, adeoque sensu carent (a) “. Nec aliud de his subtilioribus furculis sane sperandum erit, quippe cum firma substantia interpositos nervos ita perstringat & comprimat, ut obiectorum impressionibus animam movere nequeant. Uti enim callis obductae manus pedumque plantae sensum subiectorum nervorum non experiuntur, artusque compressione protractiore nervorum stupent acrioremque sensum & denique omnem amittunt; sic etiam ii, qui ad ipsam substantiam ossium dividuntur, materia adeo compacta atque dura non possunt non quasi strangulari & proprietates suas essentiales exuere. Extima praecipue ossium strata, quae

(a) Ibid. p. 348.

ſemper firmiora ſunt, minima produnt ſenſus indicia, interiora autem & diploë multo maiora (*a*), cum textura heic mollior, totum nervorum organiſmum nondum deſtruxerit.

§. XIII.

Si vero haecce fortiora vincula nervis ab oſſeis fibrillis impoſita, rurſus in affectionibus oſſium variis ſolvuntur, hi deperditas vires recuperare videntur, ita ut omnes illatas iniurias aegre ferant. Scio quidem hancce receptam & a multis obſervatam ſenſibilitatem a nonnullis fuiſſe in dubium vocatam, ab aliis varia ratione explicatam vel etiam plane reiectam (*). Sed argumenta his obiicienda & ex praxi petita non levioris eſſe ponderis & difficulter refelli credo. Caſum ergo primum enarrabo, eo memorabiliorem, quod meo quidem iudicio; ſenſibilitatem oſſium extra aleam dubitationis collocare videatur. Debeo illum cel. D. Praeſidi, qui Lugduni Gallorum anno 1774. commorans, aegram

(*a*) Anatomie chirurgicale par Palfin refondue par Petit T. I. p. 17. an. 1753.

(*) Lege commentat. ill. HALL. T. III. p. 1. Nov. Comment. Gott. 1773. inſertam.

aegram in Nosodochio magno quotidie visitavit, & ipse experimenta, svasore cl. CARET, Nosocomii tum Chirurgo primario sagaciſſimo, varia instituit. Accipe igitur illa, quae ex adversariis suis excerpsit & mecum communicavit.

Ancilla XXXVI. circiter annorum, quae supra indicato anno innumeris angebatur cruciatibus, malorum suorum natales lapsui ante sex retro annos facto adscripsit. Ex scalis enim fortuito decidens, caput in lapidem ita illisit, ut in ossis parietalis medio cutis vulneraretur. Laesionem hanc autem adeo levem credidit, ut sine chirurgi auxilio eam se consolidare posse speraret. Cito etiam hoc succeſſit; cum vero cicatricis formatio ante ulcusculi perfectam depurationem promoveretur, illa, ut fieri solet, inaequalis, crassa atque ad tactum dolens fuit, quae tamen incommoda, succeſſu temporis, mitigari aegra speravit. Sed post biennium cicatrix multo turgidior facta, tam acerbe dolere incepit, ut noctes atque dies insomnes transigere cogeretur. Dirupta demum cicatrice, mitigati sunt violentiores cruciatus, cumque ulcusculum aliquantum dilataretur & aptis remediis purgaretur, omnis dolor discessit, & coalitio ipsa non tarde insecuta est. Eodem vero passu quo ulcus coivit, dolores consueti capitis, nulla profli-

gandi arte, iterum increverunt. Adivit demum aegra ſummis defatigata doloribus clariſſ. CARET, auxilium ipſius ſibi expetitura. Hic ſub capitis examine duas cicatrices ſibi vicinas inveniebat, recentiorem nempe & primum, eaſque tumidas, inaequales, duras & ad tactum dolentiſſimas. Excidebat igitur ambas ad os uſque, quod tum carie late eroſum deprehendebat. Ex hac quidem operatione lenimen iam ſenſit exoptatiſſimum aegra; cum vero cariei eſſet obveniendum, totam oſſis eroſi ſuperficiem a ſuis tegumentis probe liberatam, butyro antimonii, lacte aliquantum edulcorato, penecillo oblinivit, probe ſimul ſollicitus, ne adiacentia eo polluerentur. Inunctionem vero illam adeo graviter ferebat femina, ut ſtatim atrociſſimis premeretur doloribus & convulſionibus vehementiſſimis totum corpus exagitantibus, quas tamen acredinem omnem lacte & oleo colluens, demum lenire potuit. Aliud igitur conſilium coepit Chirurgus praeſtantiſſimus, cum ex irritatione praecedente ſubſtantiam ipſam oſſeam, ſpongiae inſtar excreſcentem, & exploratione accuratiore cariem in ſua medietate ad ipſum cranii cavum penetrantem, videret. Sperabat ſcilicet, ut trepani coronis tribus quatuorve, recenti firmoque oſſi applicatis, totum carie correptum fruſtulum exſcindere, & per

aperturam, ſi quae vitia duram matrem adgreſſa eſſent, ea libere deſtruere poſſet. Solito itaque more cutem circum circa in ea diſtantia a loco adfecto incidebat, ut terebratula commode applicari poſſet, & perioſteo optime abraſo, coronam primam admovebat. Inopinato vero phaenomeno interrumpebatur mox operatio, nam trepani cuſpide & quavis inſtrumenti circumgyratione acerbis adeo percellebatur doloribus miſera, ut non ſolum eiulatu eos prodere cogeretur, ſed membris vehementer convulſis, animo linqueretur. Abſoluta igitur prima hac opera, quam ad ſcopum inſufficientem vidit, trium reliquarum coronarum applicationem ad craſtinum diſtulit; cum vero nova tentamina ad perficiendam operationem inſtituerentur, & iiſdem aegra corriperetur ſymptomatibus, unicam ſingulis diebus ceteris applicavit, iamque his demum feliciter peractis, ad alterum operationis momentum properavit, ad exciſionem nempe carie deſtructi fruſtuli. Attonitus vero cito obſervavit, ipſam duram matrem cum eo non tantum cohaeſionem contraxiſſe, ſed ex ſuperficie eius fungoſam excretionem cum illo ita ſe commiſcuiſſe, ut os ſine lata durae matris exciſione exſcindere non valeret. Ad tactum leviorem omnemque quam-

eumque irritationem adeo insuper dolebat locus affectus, ut ne radula quidem vel forcipe frustatim correpta ossa tollere auderet. Fato ergo miseram hanc mulierculam committere coactus fuit cl. CARET, a natura id exspectans, quod arte obtinere non potuerat. Foramina etiam trepano facta cito coiverunt, & superficies optimae notae carne tecta fuit, fungosa vero caries in eodem statu diutissime persistit. Demum vero cute pedetentim sine praegressa exfoliatione locus corrosus obduci videbatur, eadem autem proportione, qua ulceris extensio minuebatur, dolores capitis, quibus per plures menses liberata fuerat, rursus ingruebant. Quam postea sortem subierit femina, cel. Praeses ignorat; id vero sancte adseverat, illum saepe specillo nudum os in variis locis, inscia aegra, tetigisse, eamque semper ex leviore tactu dolore statim fuisse cruciatam.

§. XIV.

Quod igitur in genere antea contendere audebam, ossa nempe sub morbosa dissolutione sensibilia fieri, illud casu hocce plane evictum esse spero. Quum vero ossium substantia variis obnoxia sit commutationibus, quaeritur, an in omnibus & in quibus praesertim restitutae sensibilitatis observaverint indicia scriptores. Tota scilicet ossium massa iam sanie vermiculatim

quasi erolitur, iam terra omni orbatur, & glutinosa eius pars, quae formam ossis, licet saepe contortam simulet, intacta remanet, iam autem glutine spoliatur, & terra relicta ossibus singularem fragilitatem largitur, iam denique acredo quaedam humores corripiens, terra & glutine in ossibus exuberante, tam vehementer in fibras osseas agit, ut expandi & tumores formare osseos cogantur; sed an in omnibus his morbis sensibilitatem ossa sint nacta, nondum satis repetitis experimentis est confirmatum.

§. XV.

In carie ossa saepe sensu praedita sunt. Contendere quidem nolo, in omni carie dolores existentes ab ossibus ipsis exoriri, omnemque ossium erosionem cum dolore esse coniunctam; nam saepe nullis gravioribus incommodis stipatur, & dolorificus sensus, de quo aegri sub exfoliatione naturali frustulorum, eorumque extractione queruntur, aliam saepe agnoscit caussam, nempe periostei, in superficie sua pluribus in locis instructi nervis, fortiorem diductionem atque dilacerationem. Contendere autem sustineo in nonnullis cariei speciebus ab humorum labe ortis, & praecipue in scorbutica, venerea & cancrosa, ipsa cariosa ossicula tantam obtinuisse sensibilitatem, ut specillo ruditer tangi sine aegri incommodo non possint.

Etenim quaedam acredines gradu alias videntur antecellere. De veritate huius rei quiſque facillime convinci poteſt, & NICOLAUS MASSA in carie femoris, cum ulcere magno coniuncta, eam optime detexit. Quid? quod papillae carneae (*a*), rubentes & vaſculis innumeris intertextae, ex ſuperficie oſſium denudatorum uberrime effloreſcentes, ſuaque propulſionis vi ſtrata externa oſſium labefactata a ſanis ſeparantes, ſingularem produnt ſenſibilitatem. Granuloſam hancce carnem eo minus a textu celluloſo circumiacente & perioſteo oſſa rurſus tegente, ut nonnulli volunt, derivamus, cum ea, quae a media ſuperficie & a centro oſſis progerminat, vel quae, ſi BELLOSTII methodo cum perforativo exfoliationem promovendi utimur, ex foraminibus ipſis elevatur & excreſcit, aeque ſenſibilis ſit; ac margines ipſi ulceris perioſteo tecti. Caro quoque ſub fruſtulis carioſis ex profundo enata, & ex fiſſuris rimiſque corroſorum oſſium evoluta, qua proprio adminiculo natura a ſano eſſe corrupta ſeiungere atque expellere adnititur, eamdem, ſi tangitur, ſenſationem prodit. Ab externa vero os obducente celluloſa eo minus haec erit derivanda; cum

(*a*) MONRO on the bones, item Bagieu des amputations 557. citante HALLERO.

ſaepe ſuperficies externa circumcirca exſiccata & membranis deſtituta inveniatur. Cel. TENON (*a*) praeterea, innumeris experimentis nixus, huius carnis ex ipſa cellulari oſſis tela naſcales derivat, oſtenditque eamdem ea ratione oſſeam demum acquirere duritiem, ut maiorem ſenſim firmitatem nacta, ad baſin cartilaginea evadat, atque tum demum, ulcere conſolidato, tota in durum os commutetur.

§. XVI.

Oſſa, ſine externa praecunte laeſione, morbo emollita, ſentire ex obſervationibus cl. DEIDIER & PETIT, quos ill. HALLER allegat, iam patet. Mirandam ſane metamorphoſin oſſa in eo morbo ſubeunt. Abſorpta enim terra omni, gluten oſſeum cum remanente cellulari ſubſtantia parenchyma ſingulare format, ſcalpello ſciſſile, & cerae inſtar flexile. Ex obſervationibus vero multis circa hunc morbum collectis, perſpicimus, variis gradibus emollitionis oſſa affici; iam enim totius corporis oſſa morbo correpta eſſe invenimus, ut ex famoſiſſimo mulieris SUPPIOT (*b*) a multis deſcripto

(*a*) Mémoires de l' Acad. Royale des ſciences an. 1758 ſur l' exfoliation des os, 2me & 3me Mémoire.

(*b*) Philoſoph. Tranſact. Vol. 48. an. 1753.

caſu & ex eo, quem ill. PRINGLE (*a*) nobis reliquit, elucet; iam vero nonnulla tantum oſſa corripi videmus; in nonnullis maior terrae quantitas, in aliis minor eſt deſtructa, quo ipſa firmitas variis ſubiicitur viciſſitudinibus. Id quod vero praecipue memoratu dignum & ad ſenſibilitatem oſſium demonſtrandam conferre videtur, in eo conſiſtit, quod aegri omnes, antequam oſſa emollescant, de dolore totius corporis, & praecipue artuum conquerantur, & incedendi vel artus movendi difficultate laborent (*b*). Alii in ipſis oſſibus ſenſum laſſitudinis percipiunt, pungentibus mixtum ictibus. Sub his ipſis continuis vexationibus urina eiecta calcareo ſedimento copioſiſſime ditata invenitur, atque tum demum oſſa torqueri & muſculorum tractioni obedire incipiunt, firmitate iam nunc oſſis omni deſtructa. Videmus igitur ſub hac commutatione oſſium ſtructuram valde agitari, & aegros non vehementer errare, cum oſſa dolere contendant. Annuit etiam ill. PRINGLE, hocce malum a medulla, diſſolvente qualitate inſtructa, originem ducere & ab interiore ſuperficie ad externam proſerpere. Variae humorum corruptiones oſſa praedicta ratione

(*a*) In eodem Volum. p. 297.
(*b*) LUDVIG. progr. de laeſa oſſium nutritione.

adgredi ſolent, ita ut nonnunquam acredinis genuinam indolem indagare non valeamus: ſed ſcorbuticam acrimoniam luemque veneream in primis ſuos in oſſa exſerere effectus, & non ſolum ad emollienda illa, verum etiam ad fragilitatem illis conciliandam, plurimum valere, quotidiana docet experientia. Praeeuntibus doloribus continuis, fixis & atrociſſimis in interiore brachii ſubſtantia haerentibus, adeo os ipſum, velamentis eius intactis, laeſum fuit, ut motu violentiore frangeretur (*a*). Clam vero & ſine ullis praeeuntibus ſignis raro ſiphilis oſſa deſtruit: vexantur enim aegri doloribus ſic dictis oſteocopis, ad deſperationem uſque interdum furentibus, ſubque his oſſa corripi videntur. Quo profundius vero malum iacet, eo violentiores excitare dolores, & maiorem oſſium promovere deſtructionem ſolet. Aliquando tamen exoſtoſis vere venerea, quam ea ratione formatam credunt, quod virus ipſum inter fibras oſſeas nidulans, ſuam efficaciam adeo exerceat, ut fibras expandat atque elevet, lancinantes & continuos dolores comites habet, quos autem eo minus periosſtei nervorumque ibi proſerpen-

(*a*) Medicinische und Chirurg. Wahrnehmungen, Erste Samlung. von MUTZELL. Berlin 1754. caſ. XIX.

tium tenſioni adſcribere poſſumus, cum exoſtoſes ſic dictae benignae, licet ſaepe maximi voluminis, dolorem nullum excitent, malignae vero vehementer furant.

§. XVII.

Duplex vero, cum ſenſibilitas oſſium non ſit deneganda, ea prodit phaenomenon, explicatione Phyſiologorum indigens. Primum nempe, quid cauſſae ſit, cur nervi hi ſubtiliores, ſubſtantiam ipſam intrantes & a dura materia per tot annos undique ita compreſſi, ut in ſtatu ſano inſitam ſuam vim exſerere non poſſint, illam tamen occultatam retineant; cum aliis experimentis in nervis inſtitutis didicimus, eorum medullam ligatione & compreſſione diuturna, vel violentiori, facile admodum deſtrui; alterum autem, quaenam ſit ratio, cur in his morbis maiorem ſaepiſſime inveniamus ſenſum, quam qui a tam ſubtilibus metui poſſit nervis. Concedo quidem lubentiſſime, omnia ratiocinia, niſi ab ipſa probe obſervata natura fundamenta ceperint, lubrica eſſe atque vana, eumque difficilem in ſe ſuſcipere laborem, qui experimentis unice haſce quaeſtiones enodare adniſus fuerit. Nullus tamen dubito, quin obſervationibus ſaepiſſime iteratis, experimentis & diſſectionibus frequentioribus ex atra hac caligine,

qua adhuc dum obvolvimur, denique emergere poſſimus. His nempe, quod ad primam difficultatem attinet, certiores nos reddi poſſe confido, anne ea praeciſe loca, quae nervis permeantur, etiam in oſſium ſtatu ſano ſenſum prodant, anne nervorum canales ita ſint firma materia circumvallati, ut a materie circumiacente premi non poſſint, & anne in iunioribus, qui molliuſculis minuſque firmis praediti ſunt oſſibus, ſenſus ſit exquiſitior, & in ſenſibus ille ob oſſium maiorem firmitatem ita perdatur, ut nulla ratione reſuſcitari queat? Quantum his dilucidatis diſquiſitionibus theoria oſſium ſenſibilium ex tenebris emergeret, nemo non praevidet.

Quod vero ad alterum phaenomenon attinet, oſſa nempe morboſa maiorem ſenſum prodere, quam a tam delicatulis fibrillis exſpectaremus, illud ab antea cognitis aliquam explicationem admittit. Mirificum enim ſentientis naturae in nervis augmentum in partibus inflammatis & diu irritatis obſervaverunt cl. WHYTT (*a*), HALLER & alii. Hominem noctu videntem, cum oculus inflammatus eſſet; a cerebro inflammato, tetano correptum; ab ictu cranio illato, ingenio ſummo praeditum,

(*a*) Phyſiological Eſſays p. 120.

qui ſtupidus fuerat, deſcribunt obſervatores; quibus docemur, ſenſationes ab irritatione diuturna & pertinace adaugeri. Huic vero explicationi, ut & alteri, circa nervorum, ope cellularis telae auctam craſſitiem, cum ad ſummam nervis offium a morbo irritatis & corroſis iunctam ſenſibilitatem explicandam non ſufficere videantur, aliam hypotheſin adiungam, forſitan non plane contemnendam. Experimentis ſcilicet in nervis inſtitutis condocemur (*a*), telam cellularem fibrillas revincientem inſenſibilem eſſe, earum vero medullam unice ſentire & eamdem medullam, quae maximum cerebri volumen conſtituit, ſimili facultate eſſe praeditam. LAURENTIUS quidem, SIMSON, aliique cerebri medullae laeſiones a vivo animali non ſentiri contendunt. Horum vero experimenta parum recte inſtituta eſſe, omnemque medullae laeſionem a viventibus aegerrime ferri, optimis ill. HALLERUS evicit argumentis. Docta praeterea docet experientia, reſectum nervum in innumeros medullares colliculos protuberare & fungoſam carnem vel concrementum glandulo-ſum, teſte cel. I. van HORNE & MAIOW, ex diſſecto vel compuncto nervo excreſcere, cum celluloſa ipſa tela circa expreſſam medul-

(*a*) HALLER Elem. phyſiolog. Lib. X. p. 312.

lam contrahatur. Nec ullum in Chirurgicis initiatum fugere poteſt, ex cerebro, ſi ipſa eius ſubſtantia dilaceratur laediturque, fungos enaſci magnos; quibus omnibus ex obſervationibus patet, medullae vim ſeſe evolvendi & expandendi ineſſe. Fungos vero cerebri ipſos ſenſiles eſſe, celeberrima doctiſſimorum virorum experimenta teſtantur. Licet enim LOTHIERI fungos cerebri inſenſiles, eoſque, qui nonnunquam a dura matre progerminant, cum cl. LE CAT & VHYTT, ſenſiles deſcribat; in GOOCHII (*a*) & IOHANNIS FANTONI (*b*) experientia contraria; atque naturae rei plane conveniente, noſtram reponere fiduciam debemus. Ex hac enim ſcimus, veros cerebri proceſſus periculoſe laedi & a vitriolo admoto vertiginem & oculorum diſtorſionem exortam fuiſſe. Si vero caro, qua tegitur dura mater, ſentit, ex diploë oſſium ſenſili originem duxiſſe videtur. Ex his autem allatis experimentis in eam ducor ſententiam, ut exiſtimem, nervulos in morbis oſſium, ab acredine quadam laceſſitos, demumque corroſos in fungulos quaſi excreſcere poſſe, qui, cum latiori ſuperficie ſint

(*a*) Cases and Practical remarks in Surgery Lond. p. 10.
(*b*) Opuſculorum Medicor. & Phyſ. Genevae 1738. Obſerv. 28. p. 172.

inſtructi, non poſſunt non ſenſibilitatem illam adaugere, eamque ad omnia quaſi puncta partis laeſae expandere.

His omnibus ALEXANDRI MONRO explicationem ſenſibilitatis morboſae offium addere lubet. Notiſſimum eſt omnibus, ſenſationem nullam exiſtere poſſe, niſi nervi tali mollitie & flexibilitate ſint inſtructi, ut corpora prementia impreſſionem quamdam in illis exſerere poſſint. Offium ergo duritie in ſtatu ſano nervos defendente, imminuta & ablata, nativam ſuam indolem iterum acquirere videntur, cum iam nunc impreſſioni obſecundent; veluti ungues, ſi priores morbo ſint deſtructi, recreſcentes, dum molles ſunt, ſenſum habent exquiſitum, eum vero dein plane amittunt.

Sed diutius in hoc argumento immorari, tam ipſa cognitionis meae levitas, quam parca in difficili hoc labore experimentorum copia vetat, oſſa in ſtatu ſano inſenſibilia, morbo ſenſibilia fieri, tot rationibus comprobare volui, quot colligere & experimentis arguere mihi licuit; nullo alio impulſus incitamento, quam ut alii in eam rem ſuam acrius convertant attentionem, atque, ſi forte erraverim, me in veram veritatis viam reducant.

D E

CONVALESCENTIUM CONDITIONE, AC PROSPERITATE TUENDA

ORATIO ACADEMICA,

QUAM

Die mensis Iunii 10.ª *anni* 1793. *in*
R. C. Ticinensi Archigymnasio

RECITAVIT

IOANNES PETRUS FRANK, M. D.

Sac. Caes. & Reg. Maiest. a Consiliis Magistratus Politici & Oeconom. Mediolan., facultatis Medicae ac Nosocomiorum per Insubriam Austr. Praeses, Xenodochii Papiens. ad S. Matth. Moderator, Therapiae Spec., & Clinices in Ticin. Acad. Professor P. & O. Academiar. Reg. Scientiar. Goetting., Mantuanae, & Elect. Mogunt., tum Societ. Patriot. Mediol. & Medic. Helvet. Sodalis.

DE
CONVALESCENTIUM CONDITIONE, AC PROSPERITATE TUENDA
ORATIO.

SI praecipuas vitae animalis conditiones animo in res proprias attento rimemur, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, COMMILITONES SPECTATISSIMI! quatuor illas esse, non difficulter eruemus: quarum prima, *sanitatem*, — *morbum*, secunda, — tertia vero & quarta, *intermedia his tempora* quibus nec nomen quidem in Arte concessum fuit, concernunt. Omnes scilicet quoad vitalem hanc auram trahimus, reddimusque viciſſim, aut recte valemus; aut salutem inter & morbum incerti vacillamus; aut hoc ipso iam prehensi, angimur atque languemus; aut demum amissam valetudinem recuperamus, convalescimus.

Sed quae mutationes humana in machina, vix a prima causſarum, a quibus morbus inducitur, actione, priusquam hic se ipsum evolvat, occurrant; — quae in corporis penetra-

libus, a devicta iam aegritudine, contingant; haec certe, quamvis legum phyſicarum, quibus regimur, partem non exiguam conſtituant, ignoramus. Eſt quidem, ubi, vix admotâ corpori morborum cauſſa, functionum mox una vel altera labeſcat, aut celerrima ſanitatis in conditionem peiorem converſio ſuccedat; ſed multa ſane morborum ſemina, non ſecus, ac illa plantarum faciunt, quemadmodum ſub certis modo coeli ſolique recipientis conditionibus *ſeruntur*: ſic praeſcriptum quoque temporis, quo foveantur, germinare incipiant, radiculamque figant, intervallum ſibi exigunt; nec, priuſquam pauliſper adoleverint, ſanitatem ſubvertunt ac ſuffocant. Magna quidem morborum principia inter ac ſemina, quibus vegetabilium continuatur creatio, diverſitas in eo intercedit: quod illa, non organicum, ac certam modo evolutionem exſpectans, ut iſta, *germen* exhibeant; ſed, ſi forte ſola contagia (quae eoſdem, quibus ſuam originem debuerunt, motus in corpore animali excitando, ſemetipſa regenerant) excipiam; aut ſolo ſtimulo, aut virium naturalium inverſione, proſtratione, in corpus operantur: quod ſcilicet *ſolum animale* longe aliam cum rebus ſinu proprio ſuſceptis, quam ſemina plantarum cum agro inerte ſen-

ſuque deſtituto rationem agnoſcit; — aſt vero, quaecunque demum futuri cauſſa morbi praeceſſerit; ea, nunc *certum* per tempus, quaſi ſepulta, in corpore deliteſcit, nunc ſine ordine, vel breviore, vel longiore intervallo ſub cineribus gliſcens inducias agit, ac tandem apertas in flammas prorumpit. Utriuſque rei exemplum tum variolarum, morbillorum, tum leprae, ſyphilidis, caninaeque rabiei contagia prae caeteris, nobis offerunt: ut quorum prima, tempore ſat fixo, — altera, incerto ac interdum remotiſſimo, in conſpectum rapiuntur, ac morbi iam diutius ſuſcepti indolem non prius, quam ſumto iam maiori incremento, manifeſtant.

Quodſi vero ſigna, quae profundius iam carnibus infixa haec tela ſatis indicent, nos fugiant; an ideo minus interna ſauciantur? & an ſubdolus ille inimicae potentiae labor, quo partes ad defectionem ſollicitantur, diſponuntur, *ſanitatis*, aut *morbi* confiniis includitur? . . . Sunt quidem aliqua hinc inde futuri morbi, quae *prodroma* vocantur, atque ab ipſa aegritudine diſtincta incedunt, indicia; ſed quam egena, quamque incompleta iſtorum eſt *ſemeiotica*, & quam parum de primo morborum ingreſſu, ſub quo toties ſecurus artem

triumphus exſpectaret, pernoſcimus! Febrium non pauca interdum phoenomena adventum praenunciant: quae, ſi morbum conſtituere dicantur, vix tamen, an ad illum magis, qui futurus eſt, an ad alium quemcunque ſpectent, ſat clare diſtinguimus; ac ſaepe functiones non tam impediunt, ſuſpendunt; quam certa modo inertia, quae vel ſaniſſimis hominibus, ſub variis athmoſphaerae mutationibus inſolita non eſt, circumdant. Sed vel *chronicos* affectus hinc inde (quaſi nubem opacam per aera volitantem, umbra tellurem celeriter percurrens) ſua ſigna praecedunt: quae futurarum aegritudinum indicia in tempore & rectius animadverſa, non appropinquantem modo ex ſuo fulgure tempeſtatem, ſed & locum, in quem fulmina cadent, & quo filo averti, abduci haec poſſent, aliquando ſat certe indicarent. Quae menſtruam excretionem iam ſaepius experta eſt, foemina, haec, licet temporis elapſi calculum non ponat, inſtantis tamen uterinae purgationis indicia ſcite ab aliis diſtinguit; nec minus ſua & alios, tum fluxus periodicos, tum morbos diuturnos, quae medicorum oculos communiter haud feriunt, ſigna praecedunt. Podagrici, diſtantes in pedibus acceſſus, ex ventriculi inertia, faſtidio ciborum, ac flatibus moleſtis appoſite praeſa-

giunt. Mulierem, aſthma, ex quo iam tribus a menſibus liberata videbatur, ſpaſmodicum, ſibi alteram in diem, dum vel minime ſuſpicarer, cum certitudine praedixiſſe audivi; ac plura ſane exiſtunt, quae medicos hucuſque nequidquam moverunt, *morborum auguria*.

Vix opus eſt AUDITORES, ut tantae dignitatis, ac tantae ſimul vaſtitatis & obſcuritatis argumentum anguſtis Academicae Orationis cancellis circumſcribi non poſſe, VOS moneam. Hinc ſervato mihi in alteram occaſionem eorum, quae hominis, ſanitatem inter ac morbum inſtantem trepidantis, conditionem reſpiciant, examine; ad vitae, modo paucas ante horas ab aegritudine concuſſae, & ad priſtinam integritatem redeuntis, ſeu hominis *convaleſcentis conditionem*, & quam haec a medicis *curam generalem* ſibi exigat, conſideranda me hodie accingam; & VESTRAM, quam mihi alias hoc ipſo in loco conceſſiſtis, & qua, in re tam ardua, vel maxime indigeo, benevolentiam imploro.

Paradoxum haud paucis, a primo iam Orationis ingreſſu proferre videbor; ſed tamen proferam! *Ad perfectam ſanitatem vix natum eſt animal; ſed illi ipſi, quam felicem ac integram vocamus, valetudini, neceſſarii quidam*

morbi intexti ſunt: qui ad totius conſervationem ac ordinem naturalem contribuunt. — Non minus ſcilicet *vitae*, tum animali, tum vegetabili, ac ipſi, quam haurimus, *athmoſphaerae*, proprii ac fere periodici ſunt *turbines:* qui, ſicut ordinem rerumque harmoniam in iſta non turbant; ſed ad magnificentiora naturae, totius conſervationi operantis, pertinent phoenomena; ita & corporum viventium elementa, non ubique ſubvertere, ſed iiſdem evolvendis, ordinandis inſervire comperio.

Quae materno in ſinu, atque ipſo conceptionis ab opere, ſub tam rapida corpuſculi extenſione, embrionem peſſumdent, licet morbis non raro detentum hoc in alveo homuncionem conflictari ſatis conſtet, ignoramus; ſed vix genitricis a gremio pendet, — iam vagit, & quaſi ſuum hunc in orbem adventum deplorat puer: quos in fletus, ſi primae ac violentae reſpirationis potius, quam ingratae ſenſationis effectu prorumpere dicatis; non tamen vel ſaniſſimo infanti tam nauſeae, quam dolorum rationes deeſſe, non minus ex communiſſimo ad vomendum conatu, quam ex ipſa meconii per oeſophagum alvumque reiectione, tum denique ex cutis univerſae, per primos a partu dies, eryſipelaceo quaſi rubore, & ex funiculi

reliquiis, ſpecie ſuppurationis ab umbilico, non ſine quadam ad hunc ipſum phlogoſi, ſeparandis coniicimus. Quod ſi res iſtas naſcentibus tam communes, quamvis ingratas ac moleſtas, ad *morbos* igitur referre non liceat; non magis certe ad iſtos revocabimus aut continuos capitis capillati, denſioribus a ſquamis mox primis a menſibus obtecti pruritus, --- aut ſuccedentes a quinto vel ſexto iam menſe gingivarum ardores, tenſionem, dolores, ac phlogoſin, atque ſub iſtis vel fugaces faciei rubores, vel ſalivationem, vel diarrhoeam continuam, — aut ſecundae dentitionis moleſtias, urinae incontinentias, — aut ſingularem, a celeriori corporis incremento, maciem, — aut frequentes glandularum inguinalium dolenteſque ſub incipiente pubertate apud pueros tumores, — aut ſomnia, vel moleſta & anxia, vel inopportunae ac ſaepe debilitanti liquoris genitalis iacturae coniuncta, aut virginum tenerarum, quibus menſtrua parantur, languores, moroſitates, pallores, — aut lumborum, mammarum, apud foeminas, redeuntes hac ſub periodo tenſiones, — aut moleſtias gravidarum, ut nauſeas, vomitus, pallores, maculas, pedum oedemata, varices; haemorrhoidalium vaſorum infarctus, &c., — aut conſuetos a partu dolores, debi-

litatem, febrem lacteam, — aut denique ceſſantis, ob aetatis rationem, fluxus uterini incommoda: quae ſingula (: de caeteris ut ſileam, & ne animalium plurimorum, quae aut cuticulam, aut plumas, crineſque, aut cornua, aut teſtas quotannis, ſub manifeſto languore, moerore, deponunt, — vel illorum, quae, praeviae quaſi mortis ſub imagine, metamorphoſes ſubire, ac habitum formamque priſtinam cum novi animalis conditione commutare, — vel ſaltem, hiberni frigoris redeuntis, non tam effectu, quam providentia, anguſtas ſibi ſpeluncas, quaſi annua ſepulchra, parare, ac in iſtis aut protinus obrigeſcere, aut profundo ſub lethargo vitam inter mortemque ſolis reditum anhelare coguntur, periodicas moleſtias adducam :) perfectam quidem ſanitatem excludunt; nec interim ad *morbos*, niſi ipſam, quam natura conceſſit, vitam, pro morbo ingrati declaremus, revocari merentur.

Atque hoc fere rerum ſub ſtatu, qui nec morbus dici, nec ſanitas apte nominari poteſt, verſantur illi: qui, ſub cauſſae, quae valetudinem ſubverterat, gravioris fuga, mortis inter vitaeque confinia vacillantes incedunt, ac ſuperato licet aegritudinis diſcrimine, iſtius potius reliquias, & priſtinae valetudinis magis rudera,

quam vitae renaſcentis primordia, ſollicito atque anxio amicorum oculo pallentes ac tremuli exponunt.

Sed quodnam demum principium, hac ipſa ſub vitae redeuntis conditione, vegetabilium non minus, quam animalium conſervationi invigilat? .... quid partes vulnere, fractura diſiunctas coagmentat; exeſas, conſumtas redintegrat; ſectione ablatas in multis animalibus reproducit, regenerat? .... quid noxia vel expellit, vel immutat, vel muco, membranis; aut cruſtis, ne obſint, oblinit, inveſtit, involvit, naſcondit? ... Eſt illud ipſum, dicetis, quod vitam in ſanis hominibus conſtituit, ac ſtimulis admotis reſpondet, *irritabilitatis*, *ſenſibilitatis*, vel unum idemque, principium;... Sed, ſi facile hoc ipſum functioni partium cuique in animalibus praeſidere intelligam; eſt tamen non minor & ſingulis in plantis, quae nec fibrae irritabili, nec nervo inniti videtur, — non modo actionis indefinitae ac mechanicae, ſed *regerminationis organicae*, potentia: quam, ſi a ſtimulis in animalibus excitari atque regi concedamus; oportet tamen eandem a lege incognita, tam corpori univerſo communi, quam parti cuivis propria, ſic dirigi: ut hic non informis modo nec finibus reſpon-

dens maſſa, ſed pars organica, vaſiſque ſuis, quin interdum articulis, inſtructa, & formae priſtinae aequalis reproducatur; illic vero, ut effectus ad partis, vel ad totius conſervationem directus, ex ſolius modo lege *ſtimuli* nequaquam exſpectandus, impetretur. A ſtimulo quidem & partis irritabilis *contractionem*, & ſentientis principii *perceptionem a priori diverſam*, atque nunc de pruritu, titillatione, voluptate, nunc de dolore, aut quavis alia in ſenſibus mutatione, teſtantem, — ſed minime, quae alia ab eadem in partibus contingunt, phoenomena, id eſt affluxum humorum, vel ſine cordis conſentientis auxilio, adauctum, aut eorum, quae in his ipſis detrita, mutata, deſtructa fuerunt, reparationem organicam, exſpectare valemus. Quae in parte vel iſta, vel illa, ex incognita hac lege, contingunt: ea ſub machinae animalis totius affectibus in fine morborum ab eodem principio praeſtantur, atque tum *criſium perfectarum*, tum miro *metaſtaſium* exemplo confirmantur: quae ſingula tam parum a *ſtimuli* ſolius imperio reguntur: ut vel in parte eiuſdem experte quamplurimum obveniant; vel tempore, quo ille iam infractus eſt, & quo vires quam maxime languent, nunc ad epidemiae regnantis, nunc ad morbi praecedentis praeſcri-

ptionem, vel certas ad partes, vel certa, eademque in omnibus, per organa ſecernentia, ſuccedant. Sic in febre periodica intermittente, tum labia, tum lien, tum pedes, frequentius, quam partes aliae quaecumque, nec raro cum aegrotantis emolumento, petuntur; — ſic in febribus acutis, a contagio exortis, ſub maximo irritabilitatis ac ſenſibilitatis ſtupore, per vias ſalivae, per cutem aut ſudoribus apertam, aut exanthematis diverſis correptam, vel per glandulas lymphaticas, ad aures, ſub axillis, ad inguina haerentes, recuperandae ſalutis tentamina feliciori cum eventu ſuſcipiuntur; — ſic in morbis inflammatoriis, criſes per urinas puriformes, lateritias, ac ſimul per ſudores, ſub febris impetu haud parum iam infracto, ſalutares contingunt; — ſic in cynanche parotidaea ex glandulis ſalivalibus, in muliere, ad ubera, — in viris ad teſtes, depoſitio frequenter, nec certe *ſtimuli* communis, ſed principii ignoti ad leges ſuſcipitur; & quae, ſub necroſi non minus, quam poſt medullae deſtructionem, poſt fracturas cum ſubſtantiae, ut vocant, iactura coniunctas, in oſſibus reproducitur, nova oſſis materia, — quae poſt unguium pilorumque reciſionem, — quae poſt vulnera quaecunque, ac in cicatricum formatione ſuccedunt;

ea, ſicut in regno vegetabili, ſine ulla plantarum, quae aliquam ab attactu, vel ad folia, vel ad organa ſexualia irritabilitatem manifeſtant, ab illis, quae hanc minime oſtendunt, diſtinctione, poſt ſomnos hibernos, variaſque laeſiones, ſimilia occurrunt: ita ex ſtimulo, qui modo paucas in plantas agit, explicari non queunt; ſed ex peculiari, nec aliter, quam ex effectu nobis cognito, tum animalibus, tum plantis omnibus communi, ac ab *irritabilitate*, *ſenſibilitate* diſtincto, — forſitan ab eodem, quod futuri animalis formationi in utero materno iam praeeſt, — quod alimenta quaecunque in animalem ſubſtantiam convertit, — quod ſecretionum myſteriis in partibus animalium, plantarum, praefigitur, nequaquam diverſo, principio repetenda videntur.

Sed quaecunque demum potentia, tum ſub ipſa ſanitate, tum in morbis, ac poſt corporis animalis, vegetabilis, laeſiones externas, vel totius, vel partes integritatem cuſtodiat; haec *vis magna conſervatrix*, *cuius modo particulam*, *& effectum qualitates illae*, *quas irritabilitatem*, *ſenſibilitatem vocamus*, *conſtituere videntur*, ſub morborum decurſu (licet frequenter, a vi cauſſae morboſae contrarios ad motus abrepta, in ſe ipſam ſaevire obſervetur)

praecipuum medentis obiectum conſtituit, & quo tempore morbus ceſſare, ſanitaſque redire aſſeritur, dum ſingulae functiones langueſcunt, in reparandis humorum iacturis, in expellendis vel cauſſae, vel effectuum morboſorum reliquiis, reficiendiſque ſolidorum damnis, quam maxime intenditur. Duplex hinc in convaleſcentibus, vix non ubique, notanda occurrit periodus: in quarum prima, potiorem *morbus*, ac eorum, quae ſanitatem offendunt, expulſio, — in altera, maiorem *ſanitas* & virium fractarum recuperatio, habere partem obſervantur. Nec aliter natura ſub laeſionibus externis procedit: ut in quibus, ſi recens modo ac ſimplex vulnus, cuius labia mox inter ſe uniantur, excipiam, impura primum a vivis ſeparantur, mox vero ab iſto, deperdita ſubſtantia renaſci, atque cicatrix, aut callus formari conſpicitur. Quodſi praecipuas morborum cauſſas, ut quondam ſolebant, ex *vitio humorum* derivari liceret; quomodo ſanitas a devicta aegritudine reſtituatur, explicare, res tam ardua non foret: morbi ſcilicet materia, ceu corpus delicti, ut vocant, per morbum praeparata, ac certo dierum numero *concocta*, vel omnis, vel in parte, aut ſenſim ſenſimque iecta, vel alium in locum depoſita, *criſin*, illinc *completam*, hinc vero *imperfectam*, aut

lyſin, aut *novam aegritudinem* conſtituere dicebatur; nec ulla ſcholas circa theoriam tam ambiguam, dubia premebant. Aſt vero cum tot morbos ſine culpa humorum ex ſolidorum modo vitio oriri, experientia docuiſſet; atque illud, quod ſub *criſi* expellitur, in multis ut morbi potius effectus, quam ut cauſſa conſiderari coepiſſet; oportuit ſimul concedere: non paucas aegritudines, quo tempore morboſi tumultus ceſſarent, mox & ſine quavis, *criticae* indolis, evacuatione, in ſtatum ſanitati propinquum, ſeu ad *ſecundam*, ut vocavimus, convaleſcentium periodum, cui, praeter virium ac debitae nutritionis abſentiam, ad perfectam valetudinem nil deſit, tranſilire. Sed in hac ipſa conceſſione, erroris non deficit occaſio. Per ipſam ſcilicet, quaecunque demum haec fuerit, aegritudinem, non exiguas ſaepe mutationes tum in ſolidis, tum in fluidis contingere, aut latentia antehac in corpore morborum ſemina evolvi neceſſe eſt; &, quin primariae adfectioni *materia*, ut dicunt, *morboſa*, ſubfuerit, non raro tamen vitioſa, turbarum in corpore praegreſſarum actione, producitur, ac nova pericula minatur nova progenies: quae, priuſquam ſanitas perfecta ſequatur, vel a viribus naturae ſubigenda, vel, *criſis ſecundariae*

ſub forma, ſenſim ſenſimque expellenda, vel, metaſtaſis ſub aſpectu, ad partem deponenda eſt. Sic, quam in morbis *inflammatoriis*, aut ſub locali inflammatione, ſanguis e vena detractus concretam ex lympha in ſuperficie oſtendit materiam: hanc, utpote nutritionis ad opus haud amplius idoneam & a naturali aberrantem, ſub criſi, vix non ubique, ſedimenti puriformis ſub ſpecie, aut urinae manifeſtant, aut ad partes, praeviae licet inflammationis immunes, celeriter propullulantes abſceſſus ſuſcipiunt; aut ſimul viſcidi atque copioſi ſudores, non certe inflammatoriae affectionis ut cauſſam, ſed ut effectum, e corpore eliminant. Sic, *bilioſae* conſtitutionis ſub imperio, copioſam fellis acrioris, & corruptae materiae generationem vel apud illos, qui in victu, aut in animi pathemate nec minime deliquerunt, obſervamus; atque gaſtrici ſyſtematis affecti ratione *producitur*, *non* morbum ipſum in genere *produxit*, quae per vomitum, aut per alvum cum emolumento expellitur, ſaburra. Sic demum in *febre nervoſa*, vel contagium, vel res quaevis, veneni in morem, ſyſtemati nervoſo infenſa, petechias, aut vibices, miliaria, aut aphthas, parotides, gangraenas, non ſemper ob cauſſae primariae ad cutim depoſitionem, in corporis

ſuperficie inducit, nec tamen ubique innoxia eſt, aut retropreſſa, morbos non ſaepe exaſperat, aut novos non creat, quae ad illam, ut *effectus*, generatur, ac potiſſimum per cutem diffiari, aut ad glandulas lymphaticas deponi amat, materia.

Cuivis vero morbo, ſexui, aetati, temperamento, quin partibus corporis quibuſvis, ſuus atque proprius ad ſanitatem amiſſam redeundi, quem propius deſcribere anguſti academicae Orationis limites non ſinunt, eſt modus. Sic, praeter ea, quae de febrium diverſarum natura & conſueto iudicio iam dicta ſunt, poſt continuas *nervoſas malignas*, licet temporis intervallo breviſſimo aegrotantem detinuerint, longiorem tamen, ut ſanitas perfecta reſtituatur, ſibi moram hae requirunt, atque per plures, in multis, hebdomadas, debilitatem inſignem, tremores diuturnos, ſurditates, agrypnias, aut ſopores, memoriae iacturam, imbecillitatem, ſtupiditatem, — in aliis, ſenſibilitatem exceſſivam, ac infantilem in lacrymas promptitudinem, — in quibuſdam, rebelles, ad aures, ad cutem abſceſſus, ſudores colliquativos, ſalivationes taedioſas, relinquunt. Sic *inflammatoriae* affectiones, licet graviter & cum periculo homines vexaverint; celeriorem

tamen

tamen in plenam valetudinem his tranſitum concedunt; aſt, ſi modo ſudores, aut urinae vel copioſae, vel ſedimento puriformi inſtructae, diutius non fluant; abſceſſibus frequenter, quin localis inflammatio aegrotantes tenuerit, convaleſcentes flagellant. Quas vero partes incendium corripuit: has, eodem licet feliciter extincto; vel pſeudomembranae, quaſi carcere organico includunt; vel nova ligamenta cum partibus vicinis, ac inter ſe ipſas revinciunt, & mobilitate, libertate naturali, variiſque functionibus in perpetuum defraudant. Sic poſt febres, quas *gaſtricas* appellamus, quamvis feliciter abſolutas, per longas ſaepe moras inappetentia ciborum, ventriculi oppreſſio, flatulentiae, meteoriſmus, alvi tarditas moleſta, ſequuntur. Sic poſt febres *intermittentes* neglectas, viſcerum, lienis praecipue ac hepatis infarctus, oedemata pedum, hydropes veremur. Poſt *morbillos*, tuſſes atque phthiſes pulmonales, — poſt *variolas*, chronicae oculorum inflammationes, caecitates, abſceſſus aurium, metaſtaſes ad nervos, paralyſes, — poſt *ſcarlatinam*, hydrops anaſarca, hydrothorax, meliori iure, quam alii morborum effectus, in convaleſcentibus timentur, &c. Sunt vero morbi, qui aegrotos, quos penitus emancipaſſe videbantur,

cum ſumma facilitate, recidivi ac inopinato de novo corripiant: quo febres periodicas, intermittentes, haemorrhagias quaſcunque, convulſiones, inprimis epilepticas, apoplexias, manias, prae aliis, pertinere, nemo ex nobis ignorat. Sunt, qui perpetuam eundem in morbum in partibus ſic quondam affectis diſpoſitionem, vel ſaniſſimos apud homines, relinquant: ut ophthalmia, otitis, cynanche, peripneumoniae, hepatitides, eryſipelata, rheumatiſmi, calculi, podagra; cum alii, vel ſemel abſoluti, libertatem aut vix non perpetuam, ut variolae, morbilli, ſcarlatina, aut ſaltem immunitatem ſat amplam, ut cynanche parotidaea, ferina tuſſis, febriſque noſocomialis, concedant. Sunt adeo, quae habitus morboſos, nativam debilitatem diſpellant, ac ſanitatem, priuſquam accederent, homini denegatam, ſuperatae, concedant, aegritudines; & quemadmodum plantula inermis, ex ſolo, in quo primum germinavit, exſtirpata, modo languet, frontem exſucca inclinat, ac vix non emoritur, — in alterum tranſvecta, feliciſſime vegetat, ac relictas in agro patrio ſorores, & formae elegantia, & ſucci nobilitate antecellit; ſic debilior ac languida hominum quorundam valetudinariorum conſtitutio, a morbo violento potentius con-

cuſſa, quaſi corpore mutato, corrigitur, ac vigorem antehac incognitum acquirit. Ad *ſexum* quod pertinet, is varietatem in convaleſcendi ratione non exiguam inducit. In genere, mulier, a morbis gravioribus & acutis liberata, prae viro, in *chronicos* affectus inclinat; & quo minora in febribus a ſtimuli exceſſu pericula incurrit; eo lentius plerumque ſanitati reſtituitur, & diutius languore, & indolis ſpaſmodicae incommodis vexatur. Accedit, quod menſtrua excretio in teneris, hanc necdum expertis, ſed eidem propinquis, virginibus, a morbo praegreſſo, plerumque cum longiſſimo laetioris valetudinis diſpendio, ac taedioſae ſub chloroſis incremento, retardetur; — in adultis, vel nimis augeatur, vel turbetur, vel, quod frequentius contingit, per menſes haud paucos, in integrum ſuſpendatur; ac priſtinae ſalutis recuperationem praepediat. Quodſi mulierem utero ferentem, quin ad abortum hunc urgeat, gravior forte morbus corripuerit; quantum non in foetu, ſub maiori iam matris debilitate, nutriendo, &, ſub auctis quotidie graviditatis moleſtiis, ad partus uſque terminum ſuſtinendo difficultatis, — vel quantum non a partu vel praematuro, vel forſitan difficili, vel a nova ſanguinis ac virium, in exhauſta iam nimis

convaleſcente, periculi timendum eſt! Plurimas certe morborum cauſſas, effectus non paucos, mulieri per vaginam ac per fluxus uterinos, mucoſos, fonticuli quaſi vices aſſumentes, fatemur eliminari; ſed illud ipſum, quod vitam nonnullis conſervat, ſalutare pro momento profluvium, quam ſaepe non, abacto iam periculo, in corporis languentis detrimentum, per menſes protrahitur, & vix liberatam a morbo mulierem, in novam ac forſitan perpetuam, aegritudinem, praecipitat!.... quam arduus, & quam ambiguus foeminarum, quae, ſub menſtrui, ab aetatis rationem vacillantis, periodo, a morbo graviori ſalvantur, ad perfectam valetudinem eſt reditus! *Aetatem* infantilem, ob ſummam in iſta nervorum ſenſibilitatem, inſignia in morbis diſcrimina exſpectant; & quae hodie Reipublicae naſcuntur proles, has, priuſquam adoleſcentiam attigerint, mors immatura ad mediam iam partem parentibus & Patriae abripuit. Vix interim, cum quondam morbum aut infans, aut puer ſuperavit, ſi modo tempus pubertatis excipiam, tam longa, vel tam ardua hac in aetate ad perfectam valetudinem eſt via; ſed vis vitae, ſub debili apparatu, ac ſub ſomno poſt morbos in longiſſimum tempus protracto, latet maior, deſiderium ci-

borum mox redit; ventriculus hos ſubigit, ac mira celeritate nutrientem in ſuccum convertit: ita ut, ſi macies convaleſcentis diuturna apud multos de perfectae valetudinis recuperatione dubium relinquat: hoc ipſum tandem ex corporis puerilis mirabili poſt morbos abſolutos in longum incremento ſolvatur. Quam prompta in aetate puerili, quamque lenta, vel fere nulla eſt in ſenibus, callorum ſub oſſium fracturis generatio, — quam facilis in iunioribus plerumque, — quam vero tarda, taediique plena eſt vulnerum in decrepitis cicatrix! Hinc magna aetatem provectam, vel devicto iam morbo, continuo circumdant diſcrimina; ac tam oppoſita ab organis ſecernentibus, excernentibus, a cute inprimis ac renibus, noxiorum ſeparationi reſiſtentia; quam latens in viſcere vel iſto, vel illo, antiquum iam virium, defectus virium, & negata alimentorum per ventriculum, cuius tanta in convaleſcentibus eſt dignitas, alimentorum ſubactio, quas aetati ſenili, per morbos concuſſae, ſuperadditas ab arte fuiſſe dies gloriamur, has, levioris incommodi ſub aſpectu, deletas tam ſaepe dolemus. Nec minus ipſa *hominum conſtitutio*, ac peculiaris, a primaeva corporis ſtructura, & ab irritabilitate, ſenſibilitate diverſis pendens, diſpoſitio ad lentam,

aut facilem ſanitatis amiſſae recuperationem contribuit; ac ſicut morbi hoc immutabili fundamento, quod & animi dotes potiſſimum ac pathemata ſuſtinet, non pauci nituntur: ita & reditum ſalutis, *temperamentum*, pro aegritudinis praegreſſae natura, ac in ratione, ut dicunt, inverſa, dirigit atque determinat. Vel ipſa temporis, ac athmoſphaerae, ſub quibus aegrotamus, conſtitutio, convaleſcendi rationem non parum immutat; ac plures, quae hieme, ac pluvioſo ſub coelo vix cedunt, aut facile repullulant, — redeunte aut verno tepore, aut amico viventibus ſolis radio, vel ſponte, vel breviſſimo temporis intervallo, diſſipantur aegritudines.

Quemadmodum vero morbus aut corpus omne, aut modo partem, — & hoc ultimo in caſu, vel cum totius conſenſu, vel locali prorſus vitio, ſolitarius occupavit; ſic, diſſipato illius impetu, vel corporis univerſi, vel modo partis affectae compages convaleſcit. Quid in parte aut viſcere ex morbo in ſalutem redeunte mutationis ſuccedat? hoc non minus, quam ipſum, quo corpus univerſum convaleſcat, modum, ignoramus. Interim certe non una eademque ratione & ventriculus & pulmo, — non una, & muſculi & oſſa, & cerebrum &

cutis, ſanitatem, vel eodem a morbo affecta, recuperant; ſed, praeter eam, quae ex diverſa ſtructura deſcendit, actionis differentiam, pars corporis quaevis & *vitam* cum aliis vivit *communem*, ac ſimul *propriam* ducit, &, qua ſemetipſam in ſanitate conſervet, & in morbis defendat, & ſanitatem convaleſcens attingat, ab omnibus diſtinctam. In morbis corporis totius, fere primum redituraе ſalutis indicium ex *facie*, & ex *oculo* inprimis, deſumitur: quas partes, per morbi violentiam diſtractas, mutatas, ſibi ſimiles reſtitui, ac, licet pallore, ſplendore languentes, de turbis iam maxima & parte compoſitis teſtari videmus. Non minoris dignitatis eſt *lingua*: quae, volubiliſſima corporis particula, ſicut nervis, qui machinae animalis alibi Imperium dividunt, inſtructa eſt: ita (: licet & in aegrotis interdum mentiatur :) reliquarum aut pacem, aut bella provinciarum, propriis ſibi nitore, rubore, humiditate, mollitie, libertate functionum, ſat fideliter iudicat. Non eadem de *auribus* dicenda ſunt, quae ſaepe in illis, qui ex febre nervoſa convaleſcunt, ſub melioribus auſpiciis, diutius ſurdeſcunt. Quam vero *ſomnus reficiens* necdum confirmat, apparentem a morbo quietem, hanc, velut ambiguam & infidam, non immerito pro

ſuſpecta declaramus. Nec tutior aegrotantis, qui, ſub meliori caeteroquin rerum aſpectu, vel a *ſiti* continuo vexatur, vel *cibos abhorret*, poſitio eſt. Nil vero ſecuritatem graviori a morbo redeuntem potius, ac *ſenſûs aegritudinis*, quem modo aegrotus interna gratiſſimaque perceptione agnoſcit, ceſſatio confirmat: quae perceptio non ex doloris modo ſilentio, ac vitae renaſcentis ſolatio componitur; ſed propriam & peculiarem convaleſcentibus, cuius indolem ipſimet ignorant, ac deſcribere non poſſunt, ſenſationem conſtituit. Quae vero tanti in morbo momenti fuit, *pulſationum* ad arterias *frequentia*: haec, eodem licet iam penitus ſublato, in multis, praecipue dum pedibus inſiſtunt, aut ex ſomno evigilant, conſpicua & per multas ſaepe dies extenſa, ſi modo caetera valetudinem creſcentem confirment, quod vereamur, nil offert; ac interdum, quam ipſa ſub febre, maior, ſine rerum diſcrimine apparet. Nec magis *tarditas arteriae*, quae in convaleſcentibus naturali ſubinde maior occurrit, aut *rarior* forſitan *intermiſſio*, timenda eſt. Quin pulſus exploravi, qui, ſano homini ſine ordine ſuccedentes, ſub febre vel maxime compoſiti, dum, iſtâ ceſſante, more priſtino intermitterent, ac digitum inaequali denuo ritu ferirent, de ſuperato nunc

morbi periculo, vel ſoli, teſtimonium edebant. Maxima in convaleſcentibus *excretionum naturalium* eſt dignitas. Inter iſtas, ea, quae per *alvum* abſolvitur, plerumque ſine damno eſt tardior; quae fluidas crudaſque materias egerere continuat: haec, viribus, niſi ſordes latuerint, infenſa, nutritionem neceſſariam avertit; & non minus, ac illa, quae faeces aut albes, aut ſpumoſas, ichoroſas educit, tam ut ſignum, quam ut cauſſa, poſt morbos ſuperatos timenda eſt. *Urinae*, ſi paucae ſecedant, ſanitatem conſtantem non promittunt; ſed facile poſt febres, inprimis periodicas, hydropem praenunciant. Convaleſcentium urinas turbari, ſi facile ſedimentum deponant, nil intereſt; abſceſſus etiam aut metaſtaſis moleſtae timorem hae ipſae frequenter diſpellunt. Poſt febres, lotium cum aliquo ardore excerni, dummodo ſat multum, ſedimentoſum, ſanitatem accelerat. Quae in acutis adeo timentur, urinae aquoſae ſeu crudae; hae, convaleſcentibus, ſi parum tranſpirent, communes, ſignificationem amittunt. Potiſſimam vero *cutis*, hac ſub vitae conditione, medentis attentionem meretur; nec facile cum ſicco pellis calore, ariditate, ſanitatem, ſine quovis ſudore, attigiſſe, aegrotantem conſpexi. Noxius tamen eſt qui in longum protrahitur, aut quo

corpus fere diffluit, ſudor, ac plurimum *diabetis* naturam imitare videtur. Foeminam ex morbo graviori, priuſquam menſtrua excretio ab iſto, redierit, niſi utero ferentem, aut, quod vehemens interdum febris non ſemper impedit, lactantem, perfecte convaluiſſe, vix auſim aſſerere.

Quos malum, ut vocant, *locale*, cum totius conſenſu afflixit: hi duplici plerumque ratione, ac citius reliquis, quam illis, quas morbus occupaverat, partibus, convaleſcunt. Quae partis vitia ſolitariae, in corpore turbas haud excitant; hae marte ſuo valetudinem, ſine conſpicua excretione, recuperant. Fere conſtans tamen ac propria ad *cutem*, quae partem aegrotantem inveſtit, aut quae ipſa per morbum vexata fuit, eſt *epidermidis* deſquamatio: quae ipſa generales adeo poſt morbos, interdum per univerſam ſuperficiem extenditur, ac in multis, quo tempore convaleſcunt, iterum iterumque ſuſcipitur. Sunt, quibus & ungues, & pili, poſt febres violentas, quin, iſti, a ſolo iam puerperio, vix non omnes, deciderint; ſed proprium eſt capiti, diuturno ac vehemente dolore prehenſo, capillos, quo tempore convaleſcimus, defluere, ac iunioribus celeriter renaſci. Quae vero partibus locali affectu detentis

communia, & medicorum attentione digniſſima phoenomena conſtituunt: ſunt, illarum, a morbo iam penitus ſuperato, aut *maior ſenſibilitas*, aut contrarius huic *ſtupor*, per longum ſaepe tempus, ac ſub ipſa nonnunquam ſanitate continuata. Hic partium a morbo vexatarum habitus, non ad ſolam modo cutis, ſed ad viſcerum quoque ſuperficiem ac integram ſubſtantiam extenditur, & faciles iſtorum in priſtinam aegritudinem reverſiones, plerumque ſenſibilitati morboſae innixas, illuſtrat. Sic non modo oculus ab inflammatione liberatus, lucem clariorem averſatur, ac minoribus a cauſſis incenditur; ſed & cutis ab eryſipelate aut craſſior reddi ac ſtupefieri, aut longos per annos ſenſibilitate excedere obſervatur. Sic a ſcarlatinae exanthemate, cutis ſenſus, apud convaleſcentes acutiſſimus, non paucos, qui ſeſe aeri liberiori incaute exponunt, in anaſarca alioſque hydropes praecipitat. Poſt ipſas oſſium fracturas, luxationes, poſt vulnera, licet optime, & a longo iam tempore ſanata, ſub violentis athmoſphaerae mutationibus, dolores, tenſiones partem noviter divexant.

Cum vero tanta ſint, quae hominis a morbo ad ſalutem redeuntis ſecuritatem concernant, momenta; mirabimur *Auditores*! Medi-

corum partem fere maximam ad ſola tempeſtatis vigentis pericula animum convertere, & quaſi portus tam ſecurus hic eſſet, cum tot naufragia navigantium ſub oculis occurrant, gubernacula incautos & praepoſtere deponere!... mirabimur, vel ipſos convaleſcentes ac ſi Medicus, qui, diſpulſo iam maiori ac evidente rerum diſcrimine, ſolicitudinem manifeſtat, hanc lucri magis, quam neceſſitatis ratione, ultro quam par ſit, continuaret, conſiliis deſiſtere, aut aegrius praeceptis obtemperare, & ad priſtinos errores, iſtorum vix poena liberatos, tam incaute reverti!.... mirabimur denique, in multis, quae pro hominum miſerorum ſuſtentatione in Civitatibus exſtructa ſunt, valetudinariis, de opportuno convaleſcentibus ſubſidio perparum cogitari; ſed cadaveris ſub aſpectu vacillantes ac viribus exhauſtos cives, quo vitae momento potiſſimum indigerent, opportuno alimento atque conſilio deſtitui, & ad graves, quos brachia recuſant, labores, familiae ac propria neceſſitate coactos, damnari.

Utinam vero hos limites convaleſcentium agnoſcerent pericula!... Sed ipſa Medicorum hinc inde ex culpa quam ſaepe non illorum pervertitur conditio! & quam frequenter, ex morbo ereptus, ea ipſa a manu, quae vitae

ſervandae cauſſa ad miſeras extenditur, per mortis defertur praecipitia! Hic etenim, qui morbi a ſtimuli exceſſu provenerant, — hoc ipſo quidem vel a tempore, ac natura, vel ab arte quodammodo compoſito, ſed igne ſub cineribus adhucdum gliſcente, roborantium victuſve nutrientis, cuicunque ex morbo graviori redeunti ac debilitatis ſub ſpecie conſtituto, ut putant, neceſſariorum, abuſu, novas ac prioribus deteriores in flammas aguntur; — illinc, ob virium, non quidem, ut ibi, fallacem, ſed veram iacturam, concedendae nutritionis indicationi, cum ſtomachi, ſubigendis alimentis necdum penitus capacis diſpendio, ſatisfacere praeter modum feſtinant; — in his, ob reliqua ventriculi, ex debilitate, ſenſibilitate maiori, incommoda, nauſeas, flatulentias, aut forſitan ob aliquam oris amaritiem, ac linguae ſpurcitiem, — vel ob dilectam, hoc vitae ſub ſtatu gaſtricas ſaburras generari, aut noxias materias ex ſanguine in canalem inteſtinalem deponi, hypotheſin, noviter ad illa, quae reſolvant, evacuent, confugiunt, ac paucum, quod ſupereſt, vitae pabulum ſtudioſe ſubducunt; — in illis, dum ciborum deſiderio ac fame intenſa iam flagrent, ac ſingula debilitatis, inanitionis ac inſomniae ſymptomata, non *Medicum*, ſed

Coquum implorent, ob *putridae*, quam febribus praegreſſis *nervoſis* impertiuntur, titulum, vegetabilia modo pauca, aquoſa & ſucco nutriente deſtituta, flatulenta concedunt, &, quas morbus non omnes detrivit, vires, imperioſe ſubvertunt ac ſufflaminant. Hi, aegrotos, a morbis iam penitus liberatos, ac modo aeris purioris motuſque beneficio egentes, vel ad ſtragula condemnant; vel athmoſphaerae a propriis & aliorum halitibus infectae ſolicite includunt; illi, alios, quos longior a morbo quies, & aucta tranſpiratio iuviſſent, ut citius curaſſe videantur, vel, quod, Optimatum ſub cura, conſpicuae mercedis impatientia id iubeat, aut lectulos deſerere, aut aeris iniuriis praepoſtere exponi cogunt; ac ſaepe morbis *ſupina* corporis debilioris *poſitione* praevertendis, haemorrhagiis ac fluxibus per uterum, aut per anum, ſubmittunt; vel in gravidis abortus, — prolapſus in puerperis, pedumque in aliis oedemata inducunt.

Non una igitur, ſed multiplex convaleſcentium conditio eſt: quae, ſicut in declivi, non minus ad morbum, quam ad ipſam ſalutem, via verſatur: ita Medicorum ſolertiam quam vulgo adhibeant, ſibi maiorem requirit. Quod vero potiſſimum curandae tam ambiguae ſanitatis ar-

gumentum conſtituit: eſt illud, quod attenta obſervatio quemcunque docebit: *ſcilicet eâdem, quæ prodroma ſymptomata cum morbo futuro conſpirant, ratione, — & ipſam, quae hunc ſequitur valetudinem, praeviae aegritudinis naturam ac indolem plerumque per tempus ſat longum retinere.* Qui febre *inflammatoria*, vel locali ad partem phlogoſi correptus, ſanitatem recuperat: is, multos per dies, interdum per annos, ſub redeuntis, aut & integrae ſanitatis aſpectu, ad eoſdem tumultus inclinat; ac ſtimulo non magno, vel a medicamine, vel a cibis potuque ingeſtis, vel ab iris, aut corporis, vel partis violento exercitio, admoto, in ſimilem priori affectum facillime relabitur. Poſt febres, quae ex *biliosa* conſtitutione, vel ex abdominali ſaburra originem traxerunt, quemadmodum ventriculi languor ac ciborum faſtidia diutius a morbo continuant; ita vel levis in victu error, convaleſcentes in priſtinam aegritudinem praecipitat. Quem febris *nervoſa* detinuit; hic, a morbo ſuperato, vel curis, ac animi pathemate deprimente, vel ſtudiis praepoſtere ſuſceptis deiectus, vel evacuantibus medicinis, aut diaeta rigoroſiore, ac parum nutriente, vel a venere, haemorrhagiis, ſuppuratione, ſudoribus immoderatis exhauſtus, aut athmoſpherae impurae, noſo-

comiali, diutius expoſitus, in priſtina diſcrimina, vel in hydropem, aut tabem coniicitur. Hominem a febre *periodica intermittente*, vel ſponte vel arte reſtitutum, quaecunque debilitant, quo magis ille ſuperato vicinus eſt morbo, aut quo magis cauſſa debilitans in priſtinae affectionis punctum, ſeu in diem ac tempus paroxyſmi, inciderit; eo certius ad ſtatum, quo emerſerat, febrilem reducunt; atque hinc aut evacuans alvum medicina, aut ſanguinis detractio, aut ſola iam menſtrua purgatio, aut moeror animi, aut demum aeris paludum effluviis corrupti, vel humidi frigidique actio, frequentiſſimam morbi recidivi occaſionem largiuntur.

Quodſi haec vel in illis, quos criſi *perfecta* iudicatos fuiſſe novimus, occurrant; quam facile apud alios, qui ſanitatem per criſes repetitas longiori intervallo recuperant, — aut qui per metaſtaſin, vel per morbi mutationem in alium, gravioris aegritudinis pericula evaſerunt, convaleſcentium variabitur conditio! & quam neceſſaria, & ſimul quam difficilis eſt eorum, quae tam ambiguam ac vacillantem ſalutem confirmant, praeſcriptio! .... Hic etenim febris, pro maxima quidem parte infracta, quo exacerbari alias conſueverat, tempore, nunc ſingulis, nunc alternis fere diebus, redeunte,

ut omnis iuguletur, aut placidos, olenteſque ſudores; aut urinas puriformi ſedimento inſtructas, aut utramque ſimul excretionem, exſpectat; — illic, depoſitae in partem ignobilem, materiae, quae morbum aut fecit, aut ab eodem inducta fuit, maturationem, evacuationem deſiderat; aut, ſi per ſolita colatoria, quod ſtimulum, lentamque febriculam continuat, expelli recuſat, artificiales abſceſſus fonticulos, ſetacea, repetita veſicantia, — aut frequentes blandaſque per alvum evacuationes ſibi expetit; — in his, omnis, in quem prior aegritudo tranſiviſſe videtur, morbus, in irritabilitatis exceſſu, & chronica quaſi ſyſtematis arterioſi inflammatione, cum pulſuum frequentia, duritie, calore interno, ac ſiti coniuncta conſiſtit; & acida mineralia, non ſola, ſed aromaticis, ſpirituoſis remiſta, ut Elexirium vitrioli, aut ſimilia, requirit; — in illis, nervoſae potius potentiae aut ſtupor, aut ſenſibilitas morboſa, ſecundariam aegritudinem fovet, & grata roborantia, antiſpaſmodicis coniuncta, vinum atque corticem peruvianum, liquorem anodinum, ſubinde & opium, ſibi exigit; — in aliis, a morbo ſuperato, vera laxitas ſolidorum, ac ſyſtematis lymphatici inertia, debilitatem comitantur: & ſtatum convaleſcentis, aut foe-

minae, aut viri, *chloroticis* ſimillimum aut in corpora univerſo, aut, poſt morbos locales, in partibus, inducit: atque, ſub victu nutriente, frictiones, equitationem, & corporis in aere campeſtri exercitium, aquas martiales, aut ferrum, corticemque chinae, aut frigida ſimul balnea, & faſcias expoſcit; — in aliis demum latens in corpore, praevium ante morbum, diſpoſitio, aut acre rheumaticum; arthriticum, ſcrophuloſum, vel aliud, in diverſam ab illo aegritudinem evolvitur; quae, ſicut perfectae valetudinis recuperationem diutius praeſcindunt: ita peculiarem medentis attentionem, & ſeduli-tatem communi maiorem efflagitant; & quam ambigua convaleſcentium conditio, quam difficilis recta eorundem curatio in multis eſſe ſoleat, abunde manifeſtant.

Sed ne limites praeſcriptos Oratio excedat, Vos nunc compello, egregios Artis Apollineae Candidatos, TE FRANCISCUM NOCETTI, atque TE IOSEPHUM DOMINICUM BONFIGLIUM, Ticinenses, TE ANTONIUM FRIERI, Tyrolenſem, ac TE AUGUSTUM CRAMER, Bado-Badenſem, accedite, & quam Vobis ſtudio indefeſſo paraſtis, mercedem accipite! Tu egregie NOCETTI, priuſquam Medicinae te traderes, naturae in corporum

ſingulorum principiis ſtruendis myſteria ſcrutari voluiſti, & qua, hoc ipſo in ſtudio colendo, felicitate non communi progreſſus es; ſolidiſſimum ſimul Medicinae fundamentum poſuiſti. TU, morum ſuavitate, ingenio ac induſtria ſingulari bonis omnibus dilecte BONFICE, quos ſors TIBI bona, hac in alma Muſarum ſede honorificos Natales conceſſit: hos, qui *donum* tunc fuerant, ut *meritum* nunc TUUM conſiderari feciſti! TU, dulcis quoque meae, Patriae BADENSIS fili digniſſime, CRAMERE! quod probitatis eximiae, indefeſſi laboris, ac felicioris ingenii hac in alma TICINENSI Academia retuliſti, teſtimonium, hoc TIBI, elegantiſſimam ac Civium candore, humanitate, probitate non minus, quam pace, Europae quondam conceſſa, celebrem in Urbem reduci, RASTADII fiduciam, qua fere quinque abhinc luſtris, nec hodie in eandem ingratus, fruebar, honorificentiſſimam merebitur. I felix! & ſub dulci Principis, CAROLI FRIDERICI, TRAIANI in ſubditos amorem paternum ſuperantis, Imperio, Civicam TIBI necte Coronam! — Haec, frontem quoque TUAM egregie FRIERI, quondam exornet! nunc *lauro*, quem dilectis Apollo filiis concedit, ſub pilei imagine, caput, — *annulo* hoc, digitos cin-

gite, ac equeſtris dignitatem honoris in miſerorum valetudine tuenda quaeſitote! Quem VOBIS aperio, liber, continuandi VOS ſtudii, — & quem claudo, hic naturae ſaepius, quam ambiguae theoriae, interrogandae neceſſitatis, commoneat! ad ultimos Amici amplexus venite! felices aliorum felicitate eſtote!

IOSEPHI WENZEL
MED. ET CHIRURG. DOCT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
OSSIUM ARTHRITICORUM INDOLE.

Moguntiae 1791.

LECTORI S.

IMmortalis CAMPERI *demonſtrationes anatomico-pathologicas (opus magnae ſane utilitatis) ſuadente praeceptore perill.* SOEMMERRINGIO, *iam ante duos continuare decrevi annos. Extremitatum enim inferiorum, quae ſupereſt expoſitio & anatomica & pathologica, eiuſdem mihi videbatur momenti, ac ſuperiorum. Abſolutum etiam eſſet opus, ſtudium cum per biennium fere omne in id impendi; verum de quibuſdam morbis chirurgicis hucuſque in-*

complete peractis, fusius differui libuissetque simul, quae observavi a natura iterato stabilita, quam ut incerta (fugiunt enim talia tempus) ea tradidissem. Insuper tabulis formaque illa, quibus B. CAMPERUS *suum decoravit opus & meum instruere propositum est. Quae omnia operis prorogarunt absolutionem. Angustius igitur de arthritide selegi thema, etsi satis tritum, attamen nondum exhaustum. Auctores enim quam plurimi essentialem huius morbi neglexerunt partem, ossium nempe mutationis disquisitionem accuratiorem, & quando de morbi sede disputatur, exigui sane momenti non est, ossium arthriticorum indolis cognitio. Equidem non ignoro, viros in arte medica celeberrimos, qui meliora de huius morbi sede commendarunt, ossium ab arthritide vitia, tanquam primarium considerasse criterium.*

Magna ossium morbosorum collectio nostra me iam plures ante annos in has deduxit observationes, quas postea continuo novis augere & cadaverum dissectionibus probare conatus eram.

Si opera, quam describendis talibus vitiis impendero, non inutilis habeatur, plura alio tempore de iisdem tradere decrevi.

OSSIUM ARTHRITICORUM DESCRIPTIO.

IN deſcribenda oſſium arthriticorum indole & ſtructura, a ſuperioribus quidem extremitatibus incipere, ordo poſtulaſſet; verum cum inferiorum extremitatum oſſa praecipue hic morbus invadat laedatque, maiorem etiam eorum copiam coemeteria cuiuſcunque praebeant loci, ſicque generalia huius generis affectionis oſſium morboſae ſigna, melius ex iis, quam ex prioribus abſtrahi poſſint, eorum praemiſi delineationem.

OSSA COXARUM.

An dextri, an ſiniſtri lateris oſſa haec ſaepius dicto laborent morbo, non omnino diſcernere leve eſt. Inter quindecim collectionis noſtrae ab illo octo, ſeptem ab altero morboſa ſunt.

Sexum, quem prae altero invadat, aeque dicere difficile eſt.

Eorum aliqua anchyloſi cum ſacro oſſe iuncta ſunt; plurima non. Partim reſpectu ma-

gnitudinis levia, tenuia, anguſtiſque & exilibus pubis, nec non iſchii oſſibus ſunt inſtructa, ita ut articulo excepto non parum cum iis conſentiant coxis quarum femora luxata. E contrario alia magna, ponderoſa itemque craſſa ſunt.

Exceptis articulorum caveis partibuſque in vicinia ſitis, in quam plurimis os reliquum ſanum, ſolius tuberis forma mutata videtur.

In duabus latus acetabuli internum pelvis reſpiciens caveam ad ſemiunciam protruſum eſt, tribus aliis idem, at incipiens tantum eſt malum.

Acetabula tunc vel anguſta ſunt & minore comprehenduntur volumine, vel oſſa ſunt minus craſſa & ponderoſa.

In plurimis nihil huius acetabuli mutationis cernitur, & vel robuſta oſſa ſunt, vel acetabula magis minuſve ſuperficiaria amplaque.

Numerus coxarum profundarum maior; minor vero ſuperficiariis inſtructus eſt acetabulis. Ratio in iis, quas nos ſervamus circiter prehenditur, ut 12. ad 3.

Vix non omnia rotunda gaudent figura acetabula. Profundorum diameter pollices duas lineaſque circiter quatuor, altitudo pollicem & lineas metitur quinque.

Planiorum magis ſeu ſuperficiariorum dia-

meter uncias itemque lineas duas, altitudo vero novem ad decem uſque metitur lineas.

Sani omnino, quod contra cenſetur acetabuli diameter pollice uno decemque lineis, altitudo vero undecim prehenditur lineis.

Sana ſi ſpectentur itidem acetabula eorum diameter ab inciſura inferiore ad oppoſitum marginem evidenter maior eſſet eo, qui ab interiori verſus pubis ileique iuncturam reſpiciente exit margine & in oppoſito finitur inferiore, ſi nempe acetabulum inferius uti ſuperius clauſum eſſet, quandoquidem pars eiuſdem ſuperior ovali magis quam rotunda gaudet figura.

In huius generis (arthriticis nempe) morboſis oſſibus vero totum quantum acetabulum cernitur rotundius. Plerumque acetabuli margo ſuperior quidquam introrſum vel deorſum verſus inferiorem depreſſus eſt (quo nempe ovalis magis oritur figura) quo fit, ut ab ea coxae parte, qua ramus pubis horizontalis ilei oſſe iungitur, quaſi planum inclinatum ad marginem acetabuli deſcendit ſuperiorem, quod ſurſum ad ſpinam ilei inferiorem diſtincte procedit. In coxis arthriticis vero ſuperficies haec ab adaucto acetabuli volumine vere tota tegitur & ſurſum properat, non ut in praecedentibus deſcendit. Solum in iis coxarum oſſibus arthriticae indo-

lis, quorum acetabula vi morbi prolongata ſimulque vero auguſta ſunt, haec ſuperficies libera, inque planum horizontale extenſa eſt.

Poſterior ſeu exterior acetabuli margo in plurimis hiſce oſſibus ob novam, quaſi vallatam oſſeam materiam, uno pollice lineaque una, in aliis ſemipollice tamen maior eſt ac in ſtatu naturali.

Oritur ergo hoc modo retro acetabulum planum quoddam, quod cum iſto ex iunctura ilei iſchiique oſſe pollicis unius linearumque aliquarum latitudine, in primis coxis (ubi nempe oſſeae materiei novae latitudo pollex unus & linea eſt) latitudinem pollicum duorum triumque linearum attingit; in alteris vero (ubi tantum ſemipollicis latitudo eſt novae materiei) unius tertiique pollicis quadrantis.

Exinde luculenter explicandus eſt ille mox maior, minorve alias in diu arthritide paſſis tumor, quem cum in exteriori coxae parte obſervamus, pro luxatione femoris definire non haeſitamus.

Si porro ſanae cernuntur coxae, in anteriori ovale foramen verſus directo acetabuli margine, invenimus inciſuram ratione magnitudinis ſatis variantem, qua hoc in loco acetabulum paullisper hiat. In arthriticis oſſibus ſuper hanc inciſuram pons quaſi extenſus, materia conſiſtens oſſea. Introrſum in cavea nempe

articuli pons hic vel lamina offea quaſi patera, ſeu lanx excavatus eſt, & non ſolum ſuperioris acetabuli partis formae quam maxime reſpondet, ſed & anteriorem caveae articulatoriae marginem reſpectu altitudinis poſteriori perfectiſſime adaequat.

Sub offeo hoc ponte in plurimis tali morbo affectis offibus foramen deprehenditur, cuius facies interna ab adiacente iſchii parte, externa vero a nova generata offea materie formatur.

Foraminis forma perquam differt, ovalis tamen ſaepius ac rotunda apparet.

Eiuſdem altitudo non inſignis, plerumque trium ſeu quatuor linearum.

Ut plurimum extrinſecus tantum cernitur apertura haec; in ipſa cavea articulari vero omnis inciſura nova impleta eſt offea materie; ſubinde tamen hic parvus ductus ad caveam ipſam continuatur & illinc altero patet fine.

Quae ab iſchii offe formatur paries interna huius foraminis & foraminis ovalis ſimul marginem conſtituit poſteriorem in plurimis tenuior exiliorque fieri, ac in ſtatu ſano eſſe videtur.

Plerumque in ipſo acetabulo neque prehenditur veſtigium, ubi nova inceperit offea materies. In aliquibus tamen verſus acetabuli marginem diſtincta videnda eſt linea ſeparatoria,

veteris nempe recentiſque oſſis, & progrediens ab hinc ulterius nova oſſea materies, quando ad marginem venerit acetabuli, extrorſum recedit, verosimiliter ob novam circa femoris caput exortam oſſeam coronam, quae priori circulo circa acetabulum firmiter incumbit.

Potiſſimum ſuperior acetabuli paries laevis politaque quaſi, caetera vero huius caveae pars magis minuſve inaequalis, & aſpera reperitur. Raro politura haec ultra acetabuli dimidium ſe diſtendit. Pauciſſima denique ſunt acetabula, quibus nulla laevitas, vel quae omnino inaequalia inveniuntur. In diverſis quaſi facieculae politae regulares arte factae obſervantur.

Ut plurimum laevis illa ſuperficies fungi adinſtar magis vel minus perforata eſt, aſt ſaepe etiam extra hanc ſuperficiem adhuc alia reperiuntur foramina magnitudinis valde diverſae, & videtur pernicioſior morbi gradus adeſſe, quando interna haec ſuperficies acetabuli valde foraminibus ſcatet.

Laevis enim illa arctaeque compagis ſuperficies conteri prius omnino debet, quam illa cellulosa magis apparet oſſis pars, quam foramina incidere obvium eſt.

Acetabuli inciſura, uti iam ſupra monui, in plurimis tota omninoque nova expleta eſt

offea materie, partem tantum ſi exceperis anteriorem, ubi pontis adinſtar offa materies applicata invenitur. Fruſtra in quibuſdam quaeritur locus ille, ubi olim inciſura erat, tam plana & aequalis tota cernitur cavitas.

In aliis inciſurae ſitus formaque ſimul vel ſulco exiguo, vel margine a nova exorta materie offea parum prominente diſcernendus eſt.

Ad foſſam quod attinet ligamenti ſuſpenſorii ſeu teretis inſertioni inſervientem, deſideratur illa omnino.

Si facies offeae materiei novae ad prorogandam vel ampliandam articuli caveam applicatam ſpectetur externa, utplurimum inaequalis invenitur atque diverſis valde, maioribus minoribuſque offeis laminis & exoſtoſibus obſeſſa. Iſchii tuberis forma conſueta plerumque mihi mutata videtur, magis enim expreſſus, pluribus quaſi inſtructus facieculis novaque ſubinde etiam adauctus offea materie, quae pulvinaris adinſtar ei incumbit, tuber apparet.

In planioribus ſeu minus profundis acetabulis, femur luxationis periculo haud difficulter & quidem ſecundum omnes directiones expoſitum eſt (*).

(*) Idem veroſimiliter morbus in equi pelvis aceta-

FEMORA.

Quam ſupra monuimus difficultatem in diſcernendo, cuius lateris oſſa ſaepius hoc morbo corripiantur, hic exemplo ſtatuitur, inter

---

bulo dextro, quam in collectione noſtra ſervamus, obſervari licet.

Figura acetabuli naturalis parum tantum mutata videtur.

Nova quidem ad eiuſdem marginem ſeu peripheriam exorta eſt oſſea materies, at copia exigua, quare etiam tantum paullo profundius ac in ſtatu prehenditur ſano.

E contra os iſchii ad totum externum acetabuli latus multo magis laborat, ac id in homine pro more ſolito accidit. Carie enim quadam hoc loco correptum eſt, qua os diverſimode perforatum, multaſque habet fiſſuras.

Inciſura acetabuli omnino nova repleta eſt oſſea materie & quaſi deleta, ſic ut excepto parvo hiatu verſus foramen ovale, quo loco in ſtatu ſano inciſura patet, neque minimum eiuſdem reperitur veſtigium.

Facies acetabuli interna deorſum ac retrorſum laevigata, ſplendens atque ſubtiliter perforata eſt; ſurſum ac introrſum vero gaudet adhucdum naturali ſuo colore ſubſtantiaque illaeſa. Luculenter admodum hic patet, uti color texturaque oſſis naturalis per frictionem perpetuam & laevigationem gradatim deperditur & quomodo cum candidiore oſſis colore, ſimul & fiſſurae, foramina, laevitaſque apparent. Qui pelvis cavum reſpicit acetabuli paries quidquam propulſus eſt, ſimulque ſcaber, parvis obſeſſus exoſtoſibus, cribratus, & fiſſuris denique mutatus.

femora enim hoc morbo affecta triginta quatuor, ſedecim a dextro, octodecim ab oppoſito ſunt latere.

Plurima excepto capite articulari, caeterum omnino ſana ſunt. Duo a morbo rachitico paullulum incurvata ſunt, quibuſdam aliis in diaphyſi ſunt exoſtoſes parvae, quarum origo vero forſan & alii adſcribenda eſt morbo. Plurimorum condyli carent laevitate; in paucis tantum, & quidem ſaepius in interno maiori reperitur.

Ipſum femoris collum ſubinde, ſed non frequenter (ratio circiter eſt, ut 8. 36.) omnis expers eſt effuſae materiae oſſeae & exoſtoſium inde ortarum; plerumque vero tantum de poſteriore eiuſdem latere hoc valet. Idem videtur quidquam brevius, etſi revera non eſt, ob conſtantem nempe (quod dicere licet) circa capitis peripheriam exortam novam coronam oſſeam, quae retrorſum in aliqua a colli diſtantia excurrit; collum vero ipſum omnino intactum ad caput uſque adſcendere ſinit.

E contra in anteriore colli femoris latere fere ſemper plures vel pauciores, maiores ſeu minores adſunt exoſtoſes. Diceres materiam oſſeam pro conficiendis illis exoſtoſibus a femoris capite defluxiſſe.

Caput femoris articulare unumquodque ar-

thritide laborans in margine ſuo, nova uti iam ſupra dixi coronide oſſea a morbo producta, ut plurimum circumcinctum eſt. Sequentes in hiſce ſertis ſeu coronis obſervandae ſunt varietates.

Vel enim quaquaverſum a collo femoris exporriguntur, capitiſque ambitum eiuſdem marginem verſus valde adaugent, vel retrorſum ſecundum capitis diametrum maximum in directione colli femoris currunt, ſicque caput in longum magis extendunt.

Varietas prior rarius occurrit altera. Primi generis femorum capita (ampla nempe & magna) ſuperficiariis, magnis ampliſque reſpondent acetabulis; ſecundi (quorum capita in longum protenſa ſunt) anguſtioribus & profundioribus.

De ſuperficialibus autem acetabulis ſupra annotavi rariora eadem eſſe ac profunda, convenit igitur cum eo, quod modo de femorum capitibus arthriticis dictum eſt.

Porro vel nullatenus coronae oſſeae circa caput obſervatur initium, ita, ut capitis articularis ſuperficies in illam quaſtranſire videatur & tota ſuperficies omnino aequalis ſit.

Vel parva ubi incipit obſervatur protuberantia, quae ſimul indicio eſt, ubi ſanum & naturale deſiverit acetabulum, nova vero circa eiuſdem marginem inceperit oſſea materia.

Subinde haec corona offea corticis mox craſſioris mox tenuioris adinſtar circa poſterius femoris capitis ſegmentum circumiacet, quin in ſui fine obſerventur exoſtoſes. Ut plurimum vero ex eo una vel plures, maiores ſeu minores prodeunt exoſtoſes, vel quod etiam fieri ſolet, iterum verſus caput articulare reflectit, & ſic eiuſdem volumen, non vero uniformiter adauget.

Inter locos, quibus hae plerumque obſervantur exoſtoſes, ſequentes numerandi ſunt.

1) Infra foveam iſtam parvam in capite articulari, quae ligamenti ſuſpenſorii ſeu teretis inſervit inſertioni (*).

2) In anteriore colli femoris parte, exoſtoſes vero ipſi collo adhaerent. Quoad coronae offeae (ut nuncupavi) originem, a fovea iſta pro ligamenti ſuſpenſorii inſertione derivari debere videtur. In quam plurimis enim diſtincte videmus, uti offea materies ab illo loco capitis

---

(*) Sine dubio exoſtoſis haec toties hic obſervatur, quoniam nempe exacte illi acetabuli loco concinna eſt, ubi acetabuli exitus reperitur, qui uti iam ſupra dictum eſt, ſaepius nondum omnino nova impleta eſt offea materie. Per hanc exoſtoſin vero caput femoris maiorem acquirit firmitatem & praeſente agenteque in id vi non ita cito deorſum cedit.

articularis marginem verſus deſcendat, ſeu ut dicam, defluat hacque via ſuperius citatam exoſtoſin formet, & tunc demum caeterum capitis marginem circumdet, qua via ligamentum capſulare progredienti offeae materiae quaſi limites ponit.

Forſan vero ex iiſdem cauſſis eodemque modo & in caetero femoris capitis margine nova haec exoritur offea materia & non a dicto ad caeterum marginem aſcendit loco.

Foſſa ligamenti teretis inſertioni deſtinata in multis ita deleta eſt, ut nullum amplius eiuſdem obſervetur veſtigium.

In aliis parvus adhucdum receſſus hoc in loco reperitur.

Modus, quo evaneſcit haec fovea triplex invenitur, vel enim defluens ſeu deſcendens ad capitis femoris marginem offea materia eam implet, vel parva quaedam offeae materiei ſeparata pars cuneoli ſeu coni adinſtar eam complet, vel (quod etiam non alienum eſſe putem) per continuam capitis laevigationem, qua manifeſte decreſcere debet, ſubducitur. Plerumque forma curvaturaque capitis femoris globoſa omnino mutatur. Praeſertim vero id contingit, quando nova materies offea in inferiore capitis margine ample ſe extendat, & ad ſuperiorem

eiuſdem marginem oblique & retrorſum prolongatur; caput articulare tunc minus globoſum & rotundum fit, magis conſimile eſt plano inclinato, ſuperficies eiuſdem fit maior, inferius plerumque acutam admittit formam, & huc maxima eius referenda eſſe videtur altitudo, cum in ſtatu ſano ſupra foveam pro ligamento ſuſpenſorio reperitur.

In quibuſdam dimidia fere capitis pars nova obducta eſt oſſea materie & prorſus inaequalis.

Plurimorum capitum anterius ſuperiuſque latus reperitur laeve, ſaepe vero etiam ad medium capitis uſque ſe extendit politura.

In aliquibus maxima capitis articulatorii pars invenitur polita. In paucis tantum poſteriorem occupat faciem.

Raro ad eam capitis partem extenditur politura, quae infra foveam pro ligamento ſuſpenſorio ſita eſt.

Ut plurimum pars ſeu facies polita, ſegregata, ovalis ſeu rotunda apparet.

In iis, quae nos ſervamus femora, loca omnia laevigata ſubtiliter perforata obſervantur.

In quibuſdam femorum capitibus manifeſta cernitur caries. Ampla eroſa foramina oſſis penetrant ſubſtantiam, & quidem uti luculenter

videre eſt in iis locis, ubi antea politura aderat. Maior ergo morbi gradus in iis videtur, mitior e contra cenſendus, ſi laeve tantum reperiatur caput.

Quod ad ſtructuram femorum capitum arthriticorum attinet internam, aeque manifeſta ea inter & ſana reperitur differentia. Serra enim & plura femorum ſanorum & arthriticorum diſſecuimus capita & conſtanter tunc obſervare nobis licuit priora (ſanorum nempe capita) exterius tenuiſſima circumcincta ſeu obvoluta eſſe lamina oſſea, quam immediate attingit diploe fere ubique aequaliter conditionata, ſeu cellulis undique fere aequaliter magnis inſtructa. Poſteriora vero (arthriticorum femorum capita) iis in locis, ubi in externa ſuperficie laevia reperiantur, cortice obducta eſſe quaſi eburneo, ita compacto & colore ſimili albido flavo, cellularem item contextum oſſeum (vulgo diploen), corticem hunc inſequentem multo, ad capitis circiter medium uſque eſſe arctiorem ſeu denſiorem. Nihil manifeſtius hoc reperiri poteſt diſcrimine, ſi enim pars in femoris capitis ſuperficie laevigata adhuc exigua reperiatur; caeterum vero caput adhucdum incolume, interna capitis ſubſtantia, quando ſerra diſſectum eſt in illa tantum parte

polita,

polita, arcta, alba & eburnea; in caetera vero peripheria tenui illa lamina oſſea & diploe laxiori inſtructa invenitur. Quod ſufficienter probat mutationem hanc in capitis femoris ſubſtantia interna a morbo derivandam eſſe.

Denique condyli femoris ſubinde (non enim frequenter perquam obſervatur, imo in iis femorum oſſibus, quorum capita arthritide valde laeſa reperiuntur) cortice quaſi oſſeo prorſus obducti ſunt, cuius (corticis) ſuperficies, modo in hoc, modo in illo condylo laevigata eſt, ſimulque perforata. Servatur tale femur in collectione noſtra, ubi cortex craſſus, firmus in ea anterioris lateris incipit regione, cui patella inſidet, poſtea deſcendit, condylos femoris obducit totos & demum ad latus condylorum poſterius aſcendit, ubi in ſuprema eorum regione deſinit. Pulvinaris adinſtar haec lamina oſſea femoris obvolvit condylos, forſan hac ex cauſſa, ut condyli ipſi contra vim morbi tueantur, ſeriuſque laedantur. Corticis huius margo ad latera condylorum reflexus, ſuperficies ubique, excepto tantum in condylo interno loco, qui laevigatus & foraminibus obſeſſus reperitur, inaequalis eſt. Subinde tam & laevis in alterutro condylo reperitur locus, quin ſimul cortex talis oſſeus obducat condylos.

CRURIS OSSA.

Tantum nobis in tibiis licitum eſt conſiderare ab arthritide mutationes; fibulas enim affectas deſideramus.

Alterius tibiae ſuperficies articularis ſuperior uno tantum loco condylum externum verſus affecta eſt. Laevis illa & ſubtiliter perforatus eſt.

In altera vero articulus multo magis deſtructus reperitur.

Condylus nempe internus, qui cum externo in ſtatu ſano horizontalem admittit ſitum ſeu directionem & tantum paullo magis in ſuperficie excavatus invenitur, hic in latere exteriore oblique perquam deorſum laevigatus eſt ſimulque ſplendens, & fere omnino perforatus.

Femoris ergo condylo interno hoc in latere exiguum tantum ſuperfuit fulcrum.

Foveae ligamentorum cruciatorum inſertioni deſtinatae duae, quae duabus interiacent ſuperficiebus articularibus, anterius nempe & poſterius, tantum pro parte adhuc reperiuntur, ſimulque morboſae, ita, ut manifeſto appareat, ligamenta cruciata laboraſſe morbo. Duo parvi illi proceſſus, qui inter nominatas obſervantur fo-

veas omnino desiderantur, haecque pars intermedia, inaequalis alias, in horizontale, splendens laeveque mutata est planum.

In tertia demum tibia tota superficies articularis in unum quasi & fere omnino aequale mutata est planum. Deletae sunt foveae pro insertione ligamentorum cruciatorum, itemque parvi processus ipsis interiacentes. Singulae superficiei articularis (quarum duas semper invenimus) margo, qui in statu sano circa excavatam partem quidquam elevatur, hac in tibia excavatae parti omnino aequalis reperitur. In media superficiei articulatoriae parte locus reperitur laevigatus, colore gaudens eburneo, simulque perforatus.

Naturalis igitur articuli firmitas, seu ea, qua homo in statu pollet sano, non potuit non diminui.

PEDIS OSSA.

Quae vidi arthritide affecta, in cadaveribus reperi; raro enim ob exiguitatem in coemeteriis inveniuntur. Interim tamen haud dubito, quin & in his eadem, pro morbi gradu, observentur signa characteristica.

OSSA EXTREMITATUM SUPERIORUM.

Uti coxa, ita ſimilem in modum etiam, rarius tantum, ſcapula ab arthritide deſtruitur. Superficies articularis praeternaturaliter per novam exortam oſſeam materiem extenditur, laevigatur, ſimulque foraminibus obſeſſa apparet. Servatur huius generis ſpecimen illuſtre in Muſeo SOEMMERRINGIANO.

HUMERUS.

Cum rariora itidem humerorum ab arthritide affectorum ſint ſpecimina, etiam de eo, in quod nempe latus ſaepius vel atrocius id agat malum, haud mentionem facere tentabo.

Quae poſſidemus exempla paucis deſcribam. Incipiam ab eo, quod minime deſtructum reperitur.

In hoc capitis articularis media & externa pars, excepta lamina oſſea tenui, exteriorem eiuſdem partem obducente, adhuc incolumis omnino reperitur; interna vero ſcapulae articulum verſus directa capitis pars quaſi reſecta eſt, indeque exorta ſuperficies polita & perforata.

Ad baſin huius laevigatae ſuperficiei, exoſtoſis, durante morbo orta, ſatis firma, ſuper-

ficiem illam versus directa, interius leniter excavata, simulque aspera & perforata prostat. Exinde incisura quasi formata est, cuius inferior pars, quam exostosis illa format capiti fulcro inservire videtur. Inferior humeri articulus similiter affectus est.

Lamina illa ossea, ut plurimum quidem tenuis, quae inter foveas istas pro olecrano & ulnae processu coronoideo in statu reperitur sano, hic omnino deleta est. Trochleae forma quidem, sed non omnis supersest substantia, multo exilior, etiam inaequalis est, & in eiusdem tubere exteriore locus observatur politus, & foraminibus perforatus.

Insuper condyli ambo exostosibus deformati sunt.

Alterius humeri caput vix nomen adhucdum meretur, similius enim est exostosi magnae, deformi, partim tuberosae & partim politae, oblique deorsum humero adhaerenti, superius & posterius tantum exigua adhucdum reperitur capitis pars incolumis, caetera multo maior in oblique introrsum descendentem, simulque maxima ex parte politam & perforatam mutata est superficiem.

Forma eiusdem pene ovalis est, & magnitudo plani laevigati adaequata reperitur scapulae

ſuperficiei articulari. Inferius & anterius ſuperficiem hanc nova materies oſſea coronae adinſtar robuſtae & exterius tuberoſae circumdat, quod ad maiorem laeſi articuli firmitatem certe non parum confert.

Humeri vero eiuſdem articulus inferior omnino ſanus reperitur.

Tertii humeri caput articulare non minus ac praecedentia naturalem ſuam amiſit formam; non enim globoſum, ut in ſtatu ſano, ſed plano inclinato paullulum tantum elevato ſimilius reperitur. Superficies eiuſdem (ſi caput dicere auſim, magis enim fungum refert) non rotunda, ut in ſtatu naturali, ſed incertae figurae, magis multangulae, ſimulque omnino laevigata eſt, foraminibus maxima ex parte intermixta, & colore ſubflavo-eburneo. In ſuperficiei huius margine nova cernitur oſſea materies, quae vero non circum circa ſe diſtendit.

ANTIBRACHII OSSA.

Ulnam poſſidemus, cuius ſuperficiem articularem inferiorem nova omnino obdnxit oſſea materies, quae anterius & ad latera in aliqua ab oſſis diaphyſi diſtantia aſſurgit & mox deſinens quaſi vallum, ſeu canalem circa maximam

offis partem format; inferius vero, ubi ulna cum carpo articulatur, tota laevigata reperitur.

Ipſe proceſſus ſtyloideus ab acceſſa nova oſſea materia augmentum cepit, & in duas quaſi diviſus eſt facieculas politas.

Articulus ulnae ſuperior omnino ſanus eſt.

Vidi e contra ſuperficiem ulnae articularem ſuperiorem valde affectam & diſtenſam; inferiorem vero tantum exigue.

In radiis etiam vel ſolum in ſuperiore, vel tantum in inferiore, vel denique utroque ſimul articulo prehenditur morbus.

Si primum, tota ſubinde ſuperficies articularis (ſervamus huius generis ſpecimina in collectione noſtra) nova obducta eſt oſſea materie, quae ſimul circum circa in margine quaſi defluxiſſet, reperitur & ſic uti ſupra de ulnae articulo inferiore dixi, quaſi vallum ſeu canalem circa offis diaphyſin conſtituit. Ipſa vero ſuperficies articularis laevigata, colore ſubflavo-eburneo, & perforata invenitur.

Si alterum (quando nempe inferior radii articulus tantum laboret) & illa ſuperficies, qua cum carpo, & altera, qua cum ulna articulatur radius, affecta reperitur. Interea tamen haud nego unam tantum etiam dictarum ſuperficierum laborare poſſe.

Utrumque vero ſit, ſuperficies articularis affecta, nova vel omnino, vel pro parte ſaltem circumdata eſt oſſea materia & ſic praeternaturaliter diſtenſa ſimulque in ſuperficie laevigata, ſubflava, & cribrata eſt.

Si tertium (quando nempe in utroque radii articulo ſuperiore & inferiore reperitur morbus) eadem quae iamdum recenſui, obſervantur phaenomena.

MANUS OSSA.

Quae de pedis commemoravi oſſibus, eadem & de his valent.

OBSERVATIONES IN CADAVERIBUS INSTITUTAE.

Obſervatio I.

Factas in oſſibus, quae coemeteria praebuerunt, hucuſque recenſitas obſervationes, quam libenter a natura ſtabilitas vidiſſem, non eſt quod moneam; diu deſideravi occaſionem, quae tandem fauſta, menſe Ianuario 1790. ſeſe obtulit mihi.

Foemina, quae multos per annos arthritide laboraverat vehementer, ita ut inter alia, quae ab hoc morbo in totius corporis articulis paſſa eſt incommoda, etiam extremitatum inferiorum

ſiniſtra, altera multo brevior facta ſit, ut tantum pedis digitis, non vero planta inſiſtere potuerit, & fulcro ſtipata circumire coacta fuerit, tandem extincta erat, & ad theatrum deportabatur anatomicum.

Coxae obliquum & inaequalem tenebant ſitum; cavitas tamen pelvis interna non deformis, e contra ampla, imo ſolito ſpatioſior erat.

Coxa ſiniſtra altior locata ſupra dextram prominebat. Idem de ſiniſtri lateris trochantere valet.

Totus coxae articulus in ſiniſtro latere multo maioris erat voluminis (tantus erat ambitus, ut luxationem ſuſpicati ſimus, tali enim perquam ſimilis erat) & femur totum oblique introrſum verſus dextrum directum erat, ita ut non parum a linea diſcederet recta, & triangulare igitur ſpatium, quod in ſtatu ſano a muſculo pectineo & obturatorio expletur, omnino evaneſceret. Muſculi hi exiliores inde, breviores multo, ſimulque rugati erant.

Idem de caeteris totius extremitatis valet muſculis, omnes enim erant multo pallidiores & graciliores, quam in oppoſito latere ſano. Simul etiam extremitas morboſa propter retractam pedis plantam circa ſeſqui unciam diminuta ſeu brevior erat oppoſita, planta autem veroſimiliter ob id mutata cernebatur, quoniam

nempe totum fere femoris collum extinctum, quasi in femoris caput transierat, ab acetabulo tectum, & non ut plerumque in statu sano fit, oblique sursum ascendebat, sed magis horizontale directum erat.

Vasa femoris & nervi profundi in illo supra citato spatio angusto inter pelvim & femur coarctata erant.

Articulus motu fere carebat omni, fixus & quasi anchylosi laborans reperiebatur, sic ut & magna vi adhibita, extrorsum non moveri potuerit femur, paullulum tantum antrorsum & retrorsum.

Disquisitione articuli continuata manifesto apparuit, praeternaturalem capsulari ligamento accessisse cellulosum contextum, solito enim multo crassius fuit.

In coxae superficie externa anterius & superius prope acetabulum magna simulque obtusa observatur ossis protuberantia, cuius color magis albus, ac in caetero osse reperitur, ubi ex rubro in lividum transit.

In interna facie, diversa reperiebantur loca, quibus os tenue perquam ac transparens apparebat. Locorum talium peripheria colore gaudebat rubro, media vero eorum pars, albido, ut tenuis lamina ossea.

Circum circa haec loca ſani oſſis eminebat margo, omnino folioſus, manifeſto indicio, quod gradatim ope reſorptionis interna ſeu media pars tenuior facta ſit.

Diſciſſo undique ligamento capſulari, attamen caput femoris articulare, nullo eximi poterat modo. Deſiderabatur pene totum femoris collum & acetabulum ad trochanterem maiorem uſque prolongatum ſeu extenſum erat. Hac ex cauſſa & ut ſimul partes in ſitu appareant naturali cum ill. Praeceptore SOEMMERRINGIO acetabulum ſimul & femoris caput ab exteriore ad interiorem partem ferra diſſecui.

Acetabulum tunc praeternaturaliter extenſum ſeu longum & una anguſtius, & quoad formam ovale reperi.

Paries eiuſdem inferior dimidia fere ex parte ſuperiore tenuior erat; ambo vero parietes ab acetabuli veteris margine circa ſemipollicem prolongati erant.

Novum hoc oſſeum acetabuli augmentum colore (quod praecipue in parte diſſecta obſervandum eſt) a veteri acetabulo diſtinguitur ſubflavo albo. Videtur ac ſi pauciora vaſa ſanguifera huius novae partis penetrarent ſubſtantiam, cum vetus acetabulum colore gaudet magis rubro. Nova eadem pars interius ver-

ſus acetabuli caveam cartilagine obducta eſt, quae ſimul candidior reperitur. Non minus caput femoris manifeſto extenſum ſeu prolongatum, novaque exorta pars ſimiliter rotunda & cartilagine obducta erat.

Caeterum tota capitis articulatorii ſuperficies cum interna acetabuli facie per multas ſubtiles membranas ſpurias intime iuncta erat, quae niſi deſcindantur etiam magna vi adhibita, tametſi prohibuere caput ex acetabulo eximere.

Tam in tota acetabuli veteris interna, quam in capitis articulatorii veteris ſuperficie omnis pene deleta ſeu conſummata erat cartilago; ſparſim tantum tenuis adhuc reperiebatur lamina cartilaginoſa os obtegens, in aliis vero locis os nudum omnino erat eademque haec loca rubra & quaſi inflammata cernebantur.

Ut firmitas pateat, qua femoris caput cum acetabulo cohaereat, dimidia inferior eorum pars incolumis, ſeu indiſſoluta relinquebatur, ex ſuperiori vero alteram capitis partem eximebam.

Foveae pro ligamenti ſuſpenſorii inſertione, quarum una (in ſtatu nempe ſano) in acetabuli fundo, altera in ſummo femoris capite prehenditur, una cum ipſo ligamento terete omnino deſiderantur.

Simul & incisura acetabuli tota deleta reperitur; nova enim expleta est ossea materie.

Nullum omnino inter femoris caput, internamque acetabuli superficiem observatur spatium, immediate haec ossa se invicem contrectant seu amplectuntur.

In oppositi lateris femore & acetabulo nihil simile quidpiam reperi.

Verum in condylo utriusque femoris externo parvum observari locum manifesto affectum. Cartilago mollis fungiformis erat, colore spadiceo & super circumiacentem sanam cartilaginem paullulum eminebat, etiam alia in parte epiphyseos ossis femoris dextri omnino iamdum deleta erat & os nudum apparebat.

In aliis extremitatum inferiorum articulis nihil reperi, quod momenti esset.

In utriusque scapulae superficie articulari exiguum in eiusdem medio reperi locum fere rotundum, cuius cartilago mollis, subfusca, partim etiam iamdum deleta erat, ita ut parum abfuerit, quin os nudum apparuerit.

In humerorum capitibus vero articularibus cartilaginem omnino immutatam inveni, sana erat quoad structuram & colorem. Articulus humeri inferior in utroque latere iterum morbosus reperiebatur. In tubere nempe, quod

iuxta trochleam exterius ſitum eſt radiique inſervit articulationi, inferius & antrorſum parvus reperitur locus lentis magnitudine, qui omni plane orbatus eſt cartilagine, os nudum omnino apparet, & ſpeculi adinſtar politum eſt, ſimulque ſplendet. Circumcirca hunc locum cartilago etiam naturalem ſuam amiſit laevitatem & colorem lacteum, cuius loco ſubfuſcum magis admiſit, ſimul etiam in poſteriore trochleae latere eiuſdem humeri cartilago affecta invenitur & ſubiacens os in diverſis locis iamdum denudatum, nondum vero politum.

Similiter & humeri ſiniſtri tuber & trochleam obtegens cartilago, in priore (tubere nempe) ſurſum & antrorſum, in altera vero (trochlea) in poſteriora latere ſuperius foveam verſus pro olecrano affecta eſt.

Quoad antibrachii oſſa in interna olecrani ſuperficie utriuſque ulnae cartilago partim affecta, & ſubfuſca erat.

Quae demum radiorum marginem interiorem, quo cum ulna iunguntur tegit cartilago, itidem laborabat, mollis enim erat, ſpongioſa, ſubfuſca & pro parte iamdum abſorpta.

Obſervatio II.

Viri circiter quinquagenarii cadaver ad theatrum perlatum fuit anatomicum. Laboraverat is per multos ante mortem annos arthritide, non quidem feroci, ſed miti & lenta ſeu ſerpente magis. Inveſtigavi articulos maiores tantum, quos iure coniicere poteram morbo hoc affectos fuiſſe. In femorum capitibus vero uti & in acetabulis neque veſtigium mutationis morboſae reperi.

At in condylo utriuſque femoris externo, & quidem in anteriore & ſuperiore eiuſdem parte locus trium vel quatuor linearum reperiebatur, quo cartilago laborabat.

In margine huius affectae partis cartilago aliquantum eminebat & mollis ſimul ſubruberque erat, in medio vero eiuſdem loci omnino deſiderabatur, & os nudum ſcabrumque apparebat. Circumiacens cartilago ſubfuſco prehendebatur colore, manifeſtum affectionis eiuſdem morboſae indicium.

In rotulae utriuſque facie interna & quidem magis extrorſum cartilago puniceo cernebatur colore, item mollis, ſoluta quaſi, fungiformis & ſuper circumiacentem cartilaginem prominens; os vero adhucdum illaeſum erat.

Cum ſuffecerint exſpectationi meae obſervata haec, caeteros non inquiſivi articulos.

Obſervatio III.

Adoleſcens viginti annorum antea omnino ſanus, prima vice arthritide per quatuor ſeptimanas ſatis vehementer laborabat. Reſtitutus eſt brevi, medicaminibus huic morbo convenientibus. Reconvaleſcens in horto domui proxime adiacente deambulans, ſubito quaſi apoplexia tactus decidebat. In lectum deportabatur, ſimulque omnia, quae Ars praebet, adhibebantur remedia, verum fruſtra, altero enim exſpiravit mane.

Sectio cadaveris, quam cel. D. BURCKARD (medicus Noſocomii feliciſſimus, cui pro ſingulari erga me benevolentia grates hic pulice refero maximas) humaniſſime mihi conceſſit, diu exoptatam obſervandi occaſionem praebebat, qualem mutationem in articulis cartilago & oſſa ſimul inirent, ſi breve tantum temporis ſpatium arthritis laeſerit corpus.

Scrutinio ſubieci acetabulum, femoris caput, utriuſque femoris condylos & tybiarum ſuperficies articulares. Nihil vero omnino reperi morboſi, exceptis quibuſdam in femorum condylis locis, quorum cartilago uti faciecula marginata erat.

GENE-

GENERALIA QUAEDAM.

Notatu digna mihi videntur:

1) Quatuor praecipuae huius morbi in partibus duris (cartilagine ſcilicet & oſſe) obſervari poſſe gradus, quorum primus (ab initio nempe morbi) parvulas, irregulares, ſimulque anguloſas in cartilagine, vel uno tantum, vel pluribus locis oſtendit fiſſuras. Poſtea cartilago gradatim mollis evadit & naturalem ſuum in ſpadiceum mutat colorem. Simul parva haec ſuperficies affecta elevatur ſeu aſſurgit, ſuper circumiacentem cartilaginem ſanam prominet, & quidem pedetentim magis, ut locus ille affectus volumine maior & una mollior fit. Prominens illa ſuperficies affecta tota inaequalis reperitur.

In gradu ſecundo, quando ſcilicet morbus aegrum vel ſaepius, vel atrocior invadit, vel denique diutius intendit, ſimulque partis laeſae attritus ab articuli motu continuatur, pars illa cartilaginis oſſium extrema obducentis affecta & prominens, ſenſim abſorbetur, tenuior fit & tandem omnis evaneſcit, ſic ut ſubiacens os quaſi involucro ſuo orbatum nudum appareat.

Circumcirca hanc partem cartilaginis ablatam in margine nempe ſanae cartilaginis tunc omnes adhucdum obſervandi ſunt gradus, per quos malum ad praeſentem pervenit.

Exterius nempe ſana adhucdum & lactei coloris prehenditur cartilago, ex cuius peripheria morboſa pars ſe quaſi exfoliavit.

Margo inaequalis reperitur, denticulatus & fiſſuris inſtructus minimis. Sub hac ſana cartilaginis lamina alia diſtincte reperitur, cuius vero ſtructura iamdum & color mutata ſunt, quaeque partis abſorptae cartilagineae adhucdum ſatis aperte indicat habitum. Hanc tandem ſubſequitur os, mollius quidquam, ac in ſtatu ſano & inaequale.

In tertio gradu oſſis exoritur laevitas cui, ſi morbus ſimul ulterius procedat, diverſae magnitudinis accedunt foramina, deſtruitur item ligamentum ſuſpenſorium, deletur fovea pro eius inſertione, & oriuntur exoſtoſes.

Eundem paſſum procedentes in acetabulo mutationes obſervare videntur.

In quarto demum gradu timenda articulum invadit caries, ampla & profunda ſimulque eroſa in femoris capite & acetabulo oriuntur foramina, accedunt ulcera, & niſi potente ſuccurrat manu natura, periculum ſubit aeger.

Quod ipſe vidi in viro viginti quatuor annorum arthritide laborante, & alii obſervarunt Auctores.

2) Omnia oſſa arthritide affecta, quae ad propoſita mihi inſervierunt corollaria ex hominibus a viceſimo circiter ad ſex vel ſeptuageſimum eſſe annum.

3) Non ex uno, ſed ex diverſis & quidem in & extra urbem ſitis coemeteriis eadem eſſe oſſa, manifeſto indicio arthritidem apud nos perquam vulgarem eſſe morbum.

4) Non ſine difficultate magna diſcerni poſſe ex oſſibus hiſce morboſis, quinam ſexus prae altero ſaepius hoc afficiatur morbo.

5) Etſi univerſi ſceleti oſſa hoc corripi poſſint morbo & reapſe corripiantur, plura tamen ab extremitatibus inferioribus, quam a ſupernis inveniri affecta.

6) Maximam fere ſemper reperiri deſtructionem in coxa & femore, in omoplata & humero, minorem vero in caeteris harum extremitatum articulis.

7) Arthritis ſi oſſa iam valde laeſerit, aeque naturae auxilio ac medicaminibus ſanari debere.

8) Oſſium arthriticorum ſtructuram, habitum, ſeu indolem, maxime cum ea convenire, quae in oſſibus ſubinde obſervatur luxatis.

9) Signa offium arthriticorum characteriſtica eſſe: ſuperficies articularis quoad locum immutata, ut plurimum completa regularis & rotunda, pro excipiendo capite offis articulari ſatis ampla, nova adaucta ſimulque mutata offea materie, & ut plurimum ſeu ſemper fere polita; os caeterum vero, cui ineſt, ſanum, immutatum, & ut plurimum robuſtum. Haec praecipue de oſſe innominato & ſcapula valent.

Offium capita articularia, quae in illas excipiuntur caveas, etſi naturalem ſuam magis vel minus amiſerunt formam, attamen magna, immo plerumque ob novam illa obducentem & circumgentem offeam materiam ampliora ac in ſtatu reperiuntur ſano. Exoſtoſibus ſaepe magnis deformata ſunt & plerumque polita. Offis diaphyſis fere ſemper ſana, robuſta & omnino immutata invenitur. In aliis articulis, ubi recenſita arthritidis obſervantur phaenomena, ex loco, habitu & figura partis affectae & reliqui offis indole non minus diſcerni poteſt, an ab arthritide ſeu luxatione haec offis derivanda ſit mutatio. Caeterum diſcrimina haec offium arthriticorum eſſentialia, tunc primum luculenter apparebunt, quando cum aliis hic morbus quoad productos in offibus effectus rite comparetur.

10) Quoad morbi cauſſam vel materiam (de qua nondum diſputare ceſſarunt Medici) ſummi hanc oſſium arthriticorum diſquiſitionem momenti eſſe.

Dicta ſufficiant. Quas de burſis tendinum mucoſis in vivis arthritide laborantibus aeque ac in cadaveribus, — in partibus patellam cingentibus, — aliiſque in articulis collegi obſervationes non paucas, nec exiguas, una cum tabulis oſſium affectorum indolem rite explicantibus, altera occaſione typis mandabo.

Finis Duodecimi Voluminis.

ELENCHUS.

I.) *Io. Petr.* FRANK, *Dissertatio inauguralis Medica Curas Infantum Physico-Medicas exhibens.* pag. 1 -- 95

II.) *Io.* GAUDELII, *Dissertatio de Hydrocephalo.* 96 -- 120

III.) *Salom. Constant.* TITII, *Oratio de Pellagrae morbi inter Insubriae Austriacae agricolas grassantis pathologia.* 121 -- 176

IV.) *Io. Petr.* FRANK, *Programma, Puerperae, de infanticidio suspectae, defensionem exhibens.* 177 -- 207

V.) *Petri Iosephi* SCHWENDIMANN, *Dissertatio Helminthochorti historiam, naturam atque vires expendens.* 208 -- 254

VI.) *Caroli* STRACK, *Dissertatio de Epinyctide.* 255 -- 266

VII.) *Odolphi* MURRAY, *Diss. Academica de sensibilitate Ossium morbosa.* 267 -- 302

VIII.) *Io. Petr.* FRANK, *Oratio Academica, de Convalescentium conditione, ac prosperitate tuenda.* 303 -- 340

IX.) *Iosephi* WENZEL, *Dissertatio inauguralis de Ossium Arthriticorum indole.* 341 -- 377